

* I * H * V * S *



~~G. # 13.~~

EX BIBLIOTH.
NATIONIS HUNGAR.

VITEBERG.

VI-23.

SIGNAT. clv̄iscccxiii.

Einzelner versetzt 1941.

Stückzahl erled.

DISPUTATIO THEOLOGICA,

De

ATTRIBUTIS FI-
DEI COMMUNIBUS
ET PROPRIIS.

*Sub auspiciis Sacrosanctæ Trinitatis, in in-
clyta Witteberga, adpiam colla-
tionem proposita,*

PRÆSIDE

BALTHASARE MEISNERO,
SS. Th. D. & Prof. Publ.

RESPONDENTE

M. GEORGIO Petersen / Regiomon-
tano Boruffo.

*Habebitur d. 19. Martij, in Auditorio
majori.*



WITTEBERGÆ,

Ex Officinâ Typographicâ Johannis Gormanni,

ANNO M. DC. XXIV.

538

75



DISSERTATIO THEOLOGICA,
De
FIDEI ATTRIBUTIS.

I.



S Hristianæ fidei tanta dignitas est, ut su-
peret omnes thesauros, & nominetur victo- *Fidei ma-*
ria mundi, *1. Joh. 5. v. 4.* tanta utilitas, ut quævis *igna est di-*
bona, temporalia & æterna impetret; quum *gnitas.*
credenti omnia sint possibile, *Marc. 9. v. 23.*
tanta necessitas, ut sine illa nemo vel Deo
placere, *Hebr. 11. v. 6.* vel rectè agere, *Rom. 14. v.*
ult. vel æternùm salvari possit, *Marc. 16. v. 16.* Ille apud Deum
plus habet loci, qui plus attulit non argenti, sed fidei, *August.*
libr. de ovibus. O thesauris omnibus opulentior fides! Ô virtuti-
bus corporeis omnibus fides fortior! medicis omnibus saluta-
rior! *Ambros. l. de virginit.* Fides lampas est, quia sicut illa illumi-
nat domum; ita hæc animam, *Chrysost. super c. 25. Matth.* Quid
non inveniat fides? Attingit inaccessa, deprehendit ignota,
comprehendit immensa, apprehendit novissima, ipsam de-
nique æternitatem suo illa vastissimo sinu quodammodo cir-
cumcludit, fidenter dixerim, æternam beatamq; Trinitatem,
quam non intelligo, credo, & fide teneo, quod non capio
mente, *Bernard. serm. 76. super Cant.*

II.

Quum igitur fidei professio tam præstans sit, fructuosa & ne- *Ideoq; na-*
cessaria, non immeritò in cognitione illius studium impendi- *tura ejus*
tur accuratum; quia ignoti ut nulla cupido, sic nulla datur sa- *studiosè*
lutaris consecutio vel possessio. Imò fidem rectè cognoscere, *cognoscè*
est fidem, in quantum notitia est, & assensus, possidere. *debet.*

A 2

III. An



III.

Ante hæc autem de nonnullis quæstionibus, ad fidei θεωρίῳ spectantibus, abundè satis egimus, cōsideratis appellationibus, partibus, causâ efficiente, objecto, subjecto, formâ & sine: Pergemus hac vice, & differemus de præcipuis fidei attributis, vel affectionibus, quarum contemplatio ipsam fidei naturam & indolem genuinam plenius manifestabit. *Supremus author fidei, suam nobis largiatur gratiam, ut hanc fidei causam agamus fideliter, & cum usu publico, Amen!*

Hac verò
disputati-
one age-
tur de at-
tributis
fidei.

IV.

Quum Fides consideretur vel solius assensus, vel solius fiducia, vel utriusq; ratione: hinc προκειμένα vel attributa oriuntur diversa, quæ docendi causâ nominabimus *Universalia vel Communia, & Particularia, vel Propria.* Illa sunt, quæ fidei, quoad utramq; partem conjunctim; hæc quæ fidei, quo ad distinctas partes distinctim competunt. De utrisq; seorsum agere fert animus.

MEMBRUM I.

DE FIDEI ATTRIBUTIS UNIVERSALIBUS VEL COMMUNIBUS.

V.

Fides autē dogmatica & salvifica Non hîc omnia, sed tantum præcipua enumerabimus; talia tamen, quæ omni conveniunt fidei, sive dogmatica sit, sive salvifica, quorum nobis occurrunt *septendecim*, de quibus ordine differemus.

VI.

1. Divinitus datur, Est igitur omnis fides *1. ΘΕΟΣΔΟΤΟΣ* vel *DIVINITUS DATA.* Nec enim alium habet authorem, quàm Deum; nec aliud medium, quàm Dei verbum. Per hujus solius radios & calorem, divina bonitas in mentibus nostris accendit lumen fidei dogmaticæ, & in cordibus nostris excitat ardorem fidei salvificæ, ut credamus impossibilia, & fidamus speremusq; quum omnia sunt desperata. Nec enim fides est omnium,

2. Theß.



540
2. Theß. 3. v. 12. neque nostris, per naturam ingeneratis viribus, vel assensum vel fiduciam adipisci possumus, quum $\Phiύσις$ habeamus intellectum tenebris obscuratum, Ephes. 4. v. 18. adeoque ex nobis assequi haut valeamus objectum vel assensus, nempe mysteria fidei, quæ sunt abscondita, Rom. 16. v. 25. 1. Cor. 2. v. 7. vel fiduciæ, nimiram Patris gratiam, & Christi meritum, quum ea solus Filius, qui est in sinu Patris, revelaverit, Ioh. 1. v. 18.

VII.

Uti verò naturaliter in mente nostra hæret cæcitas, ob quam objecta fidei dogmaticæ ex nobis ipsis non assequimur; sic in corde latitat impotentia, ut nos per nosmetipsos ad Christi meritum apprehendendum, & fiduciam concipiendam movere & flectere nequeamus, unde non renati dicuntur *in peccatis mortui*, Eph. 2. v. 1. Col. 2. v. 13. quibus nulla inest vis vivificandi & vegetandi semetipsos. Imò non tantum cæcitas mentis, & impotentia cordis obstat generationi fidei ex nobis ipsis: sed præter illas privationes, annata etiam nobis est originalis quædam repugnantia & aversio, quæ transversam rapit facultatem νοητικὴν vel intellectum, & θελητικὴν vel voluntatem, ut ille assentiri renuat mysteriis revelatis, quia rationi videntur absona, exemplo Nicodemi, Ioh. 3. v. 10. hæc Christi meritò confidere nolit, propter peccatorum gravitatem, & morsus conscientiæ, exemplo Caini, Gen. 4. v. 13. Atque hæc est illa ἀπιστία & εἰμαρτία, Hebr. 12. v. 1. quæ nos non tantum impotentes reddit ad fidei productionem; sed etiam quodammodo repugnantes circa eandem; quæ tamen originalis repugnantia & aversio, si actualis non accedat contumacia, fidei generationem nequaquam impedit.

VIII.

Deus igitur, fons ille omnis boni in natura, & supra naturam, solus potest, vult & solet, fidem in nobis, sine nobis producere, qui propterea dicitur ἐνεργεῖον, operari in credentibus, 1. Theß. 2. v. 13. operari τὸ velle & perficere, Phil. 2. v. 13. cuius admetiri mensuram fidei. Rom. 12. v. 3. quæ ipsa propter hoc ipsum expressè appellatur ἐνεργεῖα τοῦ θεοῦ operatio Dei, Col. 2. v. 12. & donum Dei, Eph. 3. v. 8. Hinc Paulus Patrem cœlestem

tam ardentem invocatur, pro illuminatione Ephesiorum, & habitatione Christi per fidem in cordibus ipsorum, *Eph. 2. v. 14. 15. 17.* Christus ipse nominatur author & consummator fidei, *Hebr. 12. v. 2.* Spiritus S. verò appellatur Spiritus fidei, quia fidem nobis instillare, & in eadem nos confirmare solet, *2. Cor. 4. v. 13.* ut ita hinc clarissimum sit, soli Deo, totiq; Trinitati & initium & complementum fidei nostræ, acceptum esse ferendum unicè.

IX.

Concurrunt autem in ista divina fidei productione distincti actus; nempe circa fidem dogmaticam expulsio cœcitatatis vel ignorantia, suppressio originalis repugnantia, vel captivatio rationis, & ipsa mentis illuminatio, ut attendat mysteriis, percipiat ea, & firmiter assentiat, sicut hac ratione in mente discipulorum Christus, *Luc. 24. v. 32. v. 45.* in corde Lydiae Deus operatus esse dicitur, *Act. 16. v. 14.* circa fidem salvificam, expulsio dubitationum, suppressio repugnantia, excitatio filialis fiducia &c. quos motus omnes senserunt in sese primi Christiani, cordibus compuncti, & die Pentecostes conversi, *Act. 2. v. 37. 41. 42.*

X.

Non tamen immediate, sed per verbum, quod est causa organica, efficax instrumentum, per quod fides tum dogmatica, tum salvifica in cordibus nostris generatur, quod propterea in Scripturis dicitur potentia Dei ad salutem, *Rom. 1. v. 16.* verbum per quod salvamur, *Act. 11. v. 12.* verbum salutis, *Act. 13. v. 26.* verbum vitæ, *Ioh. 6. v. 68.* odor vitæ, *2. Cor. 2. v. 16.* Evangelium in virtute. *1. Thes. 1. v. 5.* verbum fidei, *Rom. 10. v. 8.* lux mentium *Psal. 119. v. 9.* lucerna pedum nostrorum, *Psal. 119. v. 105.* lucens in loco caliginoso, *2. Pet. 1. v. 19.*

XI.

Quod fidem quâ ratione gignat, declaratur.

Hanc verò virtutem verbum habet non ex sese, quatenus constat literis & syllabis; sed ex Dei operatione, qui illud per infinitam suam *δύναμιν* aptum reddit fidei & conversionis nostræ organum. Neq; virtutem illam verbum in se actuq; secundo habet semper & absolutè, quatenus in libris & membranarum absconditum; vel quatenus profanatur à magis & veneficis, illud per abominandum, ab usum ad incantationes suas adhiben-

adhibentibus; sed *limitatè*, atque tum solùm. quando in usu legitimo consistit, sicut omnia instrumenta nihil valent, nisi applicentur, & in suo genuino usu considerentur. Tunc autem Dei verbum consistit in suo usu, quando vel à Christiano religiosè legitur, vel in cordibus piè ponderatur, vel foris à ministris Ecclesiæ prædicatur & explicatur, unde Paulus & Apollo dicuntur ministri, per quos, vel per quorum prædicationem Corinthii crediderunt, *1. Cor. 3. v. 5.* Pastores enim loquuntur loco Dei, qui ipse virtutem addit verbo suo prædicato, ut fiat efficax instrumentum, ad fidem animis audientium instillandam. Nam fides omnis est ex auditu, auditus autem per verbum Dei, *Rom. 10. v. 17.*

XII.

Requiritur autem, ut verbum actu secundo sit efficax, fidemq; nobis ingeneret, *auditus attentus*, sine irrisione Atheniensi, *Act. 17. v. 32.* sine contradictione Capernaïtica, *Ioh. 6. v. 60. seqq.* sine obice, & aliis impedimentis, quæ verbum Dei, semen illud semper in se ac per se frugiferum, reddunt infructuosum per accidens, *Luc. 8. v. 5. seqq.*

XIII.

Atque hinc facilè rationem dare possumus, *cur verbum Dei apud eosdem auditores non idem operetur, nec eandem fidem instillet?* Nimirum, non est querenda causa in absoluto quodam decreto cum *Calvinianis*: nec in liberi arbitrij operatione cum *Pelagianis*: sed oritur diversitas illa unicè ex diversa auditorum conditione & affectione, dum *quidam* contumaciter resistunt, & Spiritui S. per verbum nos alloquenti obicem ponunt; *quidam* verò non resistunt, nec operationem verbi pertinacià suã impediunt. *Qui ergo* per verbum credunt, illi non ideò credunt, ac si fidem suam ipsi essent operati; sed Dei solius hoc opus est; ipsi tantùm passivè se habent, & media usurpant. *Qui verò* fidem ex verbo non concipiunt, illi non ideò non credunt, ac si Deus ex absoluto decreto iis fidem denegasset; vel verbum respectu ipsorum nullam haberet *divinam* ingenerandi fidem; sed quia consilium Dei cum Pharisæis spernunt, *Luc. 7. v. 30.* cum Judæis congregari nolunt, *Matth. 23. v. 37.* & Spiritui S.

contumac.



contumaciter resistunt, *Act. 7. v. 51.* non secus atque agrorus, qui semetipsum, ut talis, efficienter sanare non potest, pharmaca tamen præscripta usurpare potest: & qui usurpat, sanatur; qui non usurpat, non sanatur; ubi nec ille efficientiam sanitatis suis viribus; sed post Deum industriæ Medici, & virtuti medicaminis; nec iste defectum sanitatis vel odio Medici, vel impotentia medicaminis; sed unicè suæ malitiæ, quâ Medici consilium contempsit, & pharmaca oblata repudiavit, adscribere, & acceptum ferre debet.

XIV.

Proinde distinguendum semper est inter *usurpationem mediij*, & *productionem ipsius fidei*. Sumus nos liberi, & habemus quandam facultatem *quoad usurpationem mediij*, quia verbum Dei possumus audire, non audire; contemnere, non contemnere: Non autem sumus liberi, nec habemus ullam facultatem, *quoad ipsam efficientiam fidei*, quia ex nostris viribus nec fidei objecta assequi, nec actus fidei producere valemus: solius id Dei est, quem propterea invocemus quotidie, ut lumen hoc per verbi sui lampadem in cordibus nostris ipse accendat, incredulitati nostræ succurrat, *Marc. 9. v. 24.* fidei quæ dona clementer augeat, *Luc. 17. v. 5.* Neque causam habemus dubitandi de voluntate ipsius; quum velit ipse omnes, nullis exceptis, salvos fieri, & ad agnitionem veritatis pervenire, *1. Tim. 2. v. 4.* ac cornovum & carneum se daturum nobis promiserit, *Ezech. 36. v. 26.* Quapropter, quoad consecutionem fidei diffidamus quidem nobis ipsis, confidamus tamen Deo, omnis boni principio. Nos nihil sumus, nihil possumus; Deus verò est omnia, & potest omnia. Ut igitur ex nihilo non debemus facere aliquid, per superbam confidentiam, respectu nostri: Ita ex omni non debemus facere nihil, per meticulosam diffidentiam, respectu Dei. Summatim loquendo:

Jova fidem in nobis, sine nobis, efficit unus.

XV.

2. Gradus II. GRADUS ADMITTIT, hoc est, modò remissior & languidior; modò intensior & fortior est. Solent enim
Deus

Deus certam cuius credentium mensuram fidei admeriri, Rom. 12. v. 3. Eph. 4. v. 16. aliis majorem, aliis minorem; omnibus tamen sufficientem ad vitam æternam. In quibus autem majora gloriæ & virtutis suæ specimina mundo proponere, quorum operâ ad certamina plura subeunda uti cogitat, iis abundantior rem fidei mensuram confert, non ut per eam plus salutis acquirant; sed quò infirmioribus præsent, segniores exemplo suo excitent, adversarios confundant, & cum primis gloriæ Dei singulariter illustrandæ serviant. Admittit verò fides Christiana gradus, tum quoad notitiam & assensum; tum quoad fiduciam, quod declarare placet paulò fusiùs.

XVI.

Notitia inæqualis est, non tantum in diversis subjectis, dum Quoad notitiam. unus fidelium vel plura vel pauciora novit, quam alius, uti scilicet cognitio mysteriorum Dei longè excellentior fuit in Apostolis, quam in vulgaribus Christianis; & etiamnum doctores plerumq; plura de rebus fidei sciunt, quam auditores, quos informant; Sed etiam in uno eodemq; subjecto, diverso tamè temporis respectu. Nam in pueritia & juventute exilior est fidei notitia, quam in ætate adulta; hinc de die in diem debemus renovari, 2. Cor. 4. v. 16. consummari & crescere, donec omnes occurramus in virum perfectum, Eph. 4. v. 13. Habet insuper Deus hoc in more positum, ut non in momento simul & semel nos illuminet; sed successivè ac per gradus, dum primùm aliquam græciæ communicat; post autem majora subinde incrementa adjicit. Ut enim non omnia uno die creavit; Ita nec uno die & statim, sed per certa temporum intervalla & paulatim nos recreat. Ab extremo ad extremum non fit saltus, nisi per medium; & omnis motus successionem requirit; quam ob causam nostra quoque illuminatio, quum sit spiritualis quædam mutatio, non fit in momento, sed successivè. Non subito, & cum lux diei exoritur: Oportet primùm densiores tenebras dispelli, post durat crepusculum ad tempus, donec pleno jubar Sole emergat, & totum hemisphærium clarè illuminet. Parimodo, lux fidei non accenditur in instanti: Fuganda prius est atra nox crassioris ignorantie; dandum aliquid crepusculo; usque dum

III V X B dum



dum plenis radiis divinæ fidei lam pas illucescat. Aliud est lumen meridiei, aliud lumen diluculi; Utrumq; tamen lumen est. Ita fides versatur vel in ortu, & fuscata est, vel in *ἀκμῆ*, & splendida, utraque tamen vera fides est. Tria ergo mystica notari possunt circa fidem tempora; *Atra nox*, *crepusculum*, & *clara dies*. *Nox* crassam ignorantiam, *crepusculum* fidei principium, *Dies* complementum, prout in hanc cadit infirmitatem, denotat. Ut igitur noctem excipit non statim clara dies; sed præcedit aliquod crepusculum; sic ex tenebris ignorantiae in claram fidei notitiæq; lucem non statim pervenimus ordinariè, sed crepusculum antecedit, primùm aliqualis cognitio accenditur, quæ postmodum majora subinde incrementa lucis acquirit.

XVII.

Exemplo sunt *Apostoli*, qui primùm sub Pharisaismo hærebant, in densis ignorantiae tenebris; vocati verò ad Apostolatam, consequebantur aliqualem Christi notitiam; sed multis adhuc dubitationibus & erroribus, ob infirmitatem mentis, & præconceptas opiniones, ea erat permixta, quod crepusculum fidei duravit usque ad visibilem Spiritus S. effusionem, ubi clara dies incepit, & deducti sunt illi in omnem veritatem, *Ioh. 14. v. 26.* ut abundanter perciperent fidei mysteria, & intelligenter eloqui possent Dei magnalia, *Act. 2. v. 11.* Sic *Lutherus*, quem ad Reformationis Ecclesiasticæ opus selegit Dominus, sub Papatu circumdatus erat spissis ignorantiae & errorum tenebris; Illuminabatur verò non statim, sed paulatim; Primis annis emicabat duntaxat crepusculum lucis, cum quo aliquid caliginis adhuc erat conjunctum, unde multos adhuc Papales articulos defendebat, donec indies magis magisque proficeret, tandèq; ad claram lucem, vel plenioram veritatis notitiam in singulis articulis perveniret. Lutheri ergo mutatio, quâ Papatum deseruit, non fuit apostasia, sed conversio; quoniam à falsitate ad veritatem fidei progressus est; & retractatio dogmatum, quæ primo reformationis tempore adhuc fovit, signum est successivæ illuminationis, non autem inconstantiae & contradictionis, ut Papasini blaterant, nisi & Apostolos accusare velint inconstantiae, quòd errorem de Messiae regno terreno, & gentium ab Ecclesia exclusionem, primitus conceptum, postea magis illuminati ultrò abjecerint.

XVIII.

XIIIX.

Quum igitur certum sit, fidem respectu notitiæ, nonnunquam esse languidam & remissam, de augmentatione illius cogitemus eò diligentius, adhibendo media, divinitus ordinata, quæ sunt *devota oratio*, ut quotidie ingemiscamus cum Apostolis: *Domine, adauge nobis fidem*, Luc. 17. v. 5. *attenta verbi divini auscultatio*, quod lux divina est, oculos cæcorum illuminans, & sapientiam præstans parvulis. *Psal. 19. v. 11. assidua Scriptura lectio*, per quam Theſſalonicenses multum profecerunt, *Act. 17. v. 4. auditorum & lectorum crebra repetitio, diligensq; meditatio*, quâ mediante, fides subinde nova capit incrementa; *operum divinorum sedula consideratio*, quum illa sint optimus pædagogus, de plurimis nos commonefaciens; *cum viris pie doctis collatio, & crebra inquisitio*, quo pacto & filii Prophetarum & Apostoli, Christum sæpius interrogantes profectus fecerunt eximios, tandemque *Scriptorum Theologicorum*, quibus articuli Christianæ fidei & sufficienter & intelligenter, sive à Patribus, sive à Neotericis explicati sint, *assidua evolutio*, quum etiam in hoc genere, quæcunque scripta sunt, ad nostram doctrinam scripta sint, quod in specie de sacris literis affirmat Apostolus, *Rom. 15. v. 4.*

XIX.

Assensus, secunda fidei pars, similiter inæqualis est, gradusq; *Assensum.* admittit, ratione tum subjectorum diversorum, quia alter altero ex Christianis assentitur fortius; tum unius eiusdemq; subjecti, pro diversitate temporum, quoniam assensus noster uno tempore firmus stat, altero languescit, ut docent exempla Sanctorum, *Mosis Num. 11. v. 21. Philippi, Ioh. 6. v. 9. Thomæ, Ioh. 20. v. 25.* & quivis in semetipso experitur.

XX.

Causæ istius remissionis & languoris præcipuæ sunt, (1.) *Infirmitas carnis nostræ*, quæ semper concupiscit adversus Spiritum, *Gal. 5. v. 17.* ideoque tum mysteriis, tum promissionibus Dei assensum renuit præbere. (2.) *Temeraria rationis speculatio*, quæ carpit, quod non capit; & cui sublimes articuli fidei videntur absurdi & *divina Phantasia*, quando illos secundum regulas suas examinat, nullumq; vel possibilitatis, vel conciliationis modum invenire potest. (3.) *Suggestio Sathana*, qui claram

verbi literam in dubium vocare, assensum nostrum turbare modis studet omnibus, exemplo primæ deceptionis, *Gen. 3. v. 2. seqq.* (4) *Hereticorum vasrities & sophisticatio*, quorum scripta, quando legimus, vel argumenta speciosa audimus, non parum apud simplices, præsertim inexercitatos, concitari solet assensus fidei, exemplo *Galatarum*, quos falsi Doctores citò conturbârunt, *Gal. 1. v. 7. & fascinârunt, c. 3. v. 1.* (5) *Tentatio Dei*, qui desertione temporali, & immissione variarum calamitatum, suos quandoque probat & exercet liberos, ubi assensus, castigationum sensu, sæpius languescit, exemplo *Israelitarum*, qui promissioni de liberatione è jugo servitutis *Ægyptiacæ* parùm assentiebantur, quum lateres & labores duplicarentur, *Exod. 5. v. 21.*

X XI.

Neque verò hîc etiam desunt remedia, quibus assensum languidum corroborare, & firmare possumus. Consideretur Dei veritas, quæ nunquam fallit, *Psal. 33. v. 4.* Dei potestas, cui nihil *αδύνατον*, *Luc. 1. v. 37. Ephes. 3. v. 20.* Dei sapientia, cujus non est numerus, *Pf. 147: v. 5.* secundum quam facile invenire potest modum, revelata & promissa in actum deducendi; necessaria in rebus fidei simplicitas, *Matth. 10. v. 16. c. 13. v. 3. 1. Cor. 3. v. 18.* Scripturæ finis & perspicuitas, *Deut. 3. v. 9. 2. Pet. 1. v. 19.* exempla credentium etiam maximè impossibilia, cum primis Abrahami, *Rom. 4. v. 16.* mulieris profluvio laborantis, *Matth. 9. v. 20.* & Pauli, *Gal. 1. v. 15. 17.* ingens periculum, quod discessum à litera verbi divini semper comitatur, exemplo primorum parentum, *Gen. 3. v. 4. & seqq.* Saulis, *1. Sam. 11. v. 3. c. 13. v. 8.* Prophetæ de Juda, *1. Reg. 13. v. 4. 9. 18. 24.* Sadducæorum, Arrianorum, Photinianorum & similium: mysteriorum ratio, quæ res sunt arcana & sublimes, nec debent captu humano capi; aliorum articulorum conditio, qui quum æquè vel magis sint ardui, tamen à nobis creduntur; quo artificio Christus usus est in disputatione cum Nicodemo, *Ioh. 3. v. 6. 13.* nempe *ut credibilior fieret fides, ex incredibilioribus creditis*, ut August. loquitur. lib. de peccato. mer. & remis. c. 31. In specie, *carni renitenti*, oppone consilium spiritus; *ratione tumultuante*, cogita,

544

gita; quòd ipsa cœca sit, quòd de ignotis judicare nequeat, quòd eius regulæ tantùm in hemisphærio rerum naturalium obtineant locum, & quòd sub obedientiam fidei captivari debeat, 2. Cor. 10. v. 5. *Sathana & hereticis* oppone clarissimam verbi literam, in qua stes planè immotus & imperterritus: *Tentationis tempore*, cogita Dei mores & finem, qui est probatio, non immunitio assensus. In omnibus verò istis fidei concussionibus ardentè Deum invoca, ut tollat ipse dubitationes animi, & confirmet veritatem semel agnitam, siquidem devota precatio nihil aliud est, quàm fortis anchora, cui navicula fidei nostræ, contra quosvis dubiorum fluctus tutò inniti potest.

XXII.

Fiducia, quæ pars fidei tertia, considerari potest *dupliciter*; vel in *relatione*, prout est ipsa fiducialis meriti Christi apprehensio; vel *absolute*, prout quædam virtus est, & *παρρησιου* notat vel confidentiam, quâ fortes & animosi sumus, quâ Deo nos totos nostraq; omnia committimus, & illi super omnia in omnibus confidimus. Et fiduciam.

XXIII.

Priori modo sumta fiducia, quo ad ipsam apprehensionem & justificationem, gradus non admittit, quia Christi meritum ex æquo apprehenditur, & imputatur totum, ad eandem justitiam, sive robusta sit fides, sive languida, non secus ac quando manus morbida & sana eundem thesaurum accipiunt, non minus illa, non plus ista; sed unum idemq; donum & illa & ista accipiunt. Est igitur æqualis ratio in manu fidei, quoad ipsam apprehensionem, licet negari nequeat, modum apprehensionis & applicationis pro diversitate fidei fortis & languidæ, esse vel intensiorem vel remissiorem. *Exemplum* capi potest ab oculo diverso; in hoc hebetioris, in illo acutioris visus. Uterque oculus videt idem, & totum candelæ lumen, quia non dividitur, nec alter præ altero plus videt luminis; plus tamen & distinctius videt illud ipsum lumen acutior, quàm hebetior, pro modo scilicet oculi subjectivè recipientis lumen. Ita quis credens, unum idemq; Christi meritum apprehendit totum, adeoq; justificantur singuli, nec plus justitiæ imputatur firmæ,

B 3

neq;

neque minus iustitiæ imputatur infirmæ fidei: Fortius tamen & efficacius illud unum idemq; Christi meritum apprehendit Christianus robusta fide præditus, quam ὀλιγόπιστος.

XXIV.

Posteriori sensu accepta fiducia, omninò inæqualis est, partim ratione diversorum subjectorum, quoniam in aliis est magna & robusta, ut in Abrahamo, Rom. 4. v. 18. 19. 20. 21. in sociis Danielis, c. 3. v. 17. in Daniele ipso, c. 6. v. 22, in centurione, Matth. 8. v. 8. in muliere Cananæa, Matth. 15. v. 28. In aliis est parva & infirma, ut in Christianis ob victum & amictum sollicitis, Matth. 6. v. 30. in discipulis, Matth. 8. v. 23. in Parre Lunatici, Marci 9. v. 24. in regulo, Ioh. 4. v. 49. quæ fides infirma nuncupari solet ὀλιγοπισία, & eâ circumsepti, dicantur ὀλιγόπιστοι: partim ratione unius ejusdemq; subjecti, dum fides aliquando debilior, aliquando major & confirmatior est. Sic in Petro modica fuit fides, quum ambulans super aquas cœpit mergi, Matth. 14. v. 31. & tempore abnegationis eam planè amisit, Matth. 26. v. 7. seqq. cœpit autem in ipso magna & fortis esse post resurrectionem, ubi Christum intrepidè, magnâque constantiâ prædicavit, contemptis minis omnium seniorum populi, imò ipsâ morte, Act. 2. v. 42. c. 4. v. 19. c. 5. v. 29.

XXV.

Tria verò sunt, de quibus Christiani quandoque dubitant, & quorum respectu infirmam fiduciam habent. Primum concernit præsentem gratiam & remissionem peccatorum; Secundum, assistentiam sub cruce, & liberationem ex illa; Tertiam futuram perseverantiam & possessionem vitæ æternæ.

XXVI.

Quæ semper confirmari debet, tempore tentationum. De gratia Dei. Quod pii sæpius in tentationes incidant, & de gratia Dei, suarumq; iniquitatum venia dubitare incipiant, experientia satis superq; comprobatur, & nota sunt exempla, Jobi c. 7. v. 15. 20. 21. c. 9. v. 16. 23. c. 13. v. 15. c. 30. v. 20. 21. & Davidis, Ps. 31. v. 23. Ps. 88. v. 8. Oritur isthæc fluctuatio ex consideratione vindicatricis iustitiæ in Deo, maledictionis legalis, accusationis diabolicæ, indignitatis & indispositionis propriæ; ex recordatione sensuq; peccatorum; ex morsu ac condemnatione propriæ conscientiæ; Ex præconcepta particularitate amoris divini, meriti Christi, vocationis

nis & promissionum; *ex presunta* inefficacia verbi, Sacramen-
 torum & precum; *ex absentia* omnis sensus motusq; spiritualis;
ex presentia & magnitudine infelicitatis temporalis; & qui sunt
 arietes alii, quibus fiducia nostræ arx concuti, & conquassari so-
 let. Ubi quidem lubenter fatemur, tali tentato efficaciter suc-
 currere posse *nec Pontificios*, propter dogma de justificatione o-
 perum & dubitatione; *nec Calvinianos*, propter dogma de abso-
 luto decreto, & particularibus gratiæ divinæ fontibus: atq; hinc
 invictè concludimus, neutram religionem esse Apostolicam, &
 quia neutra tentatum erigere valet, sed utraq; viam sternit ad
 desperationem. *Secundum verò nostræ doctrinæ*, quæ sola vera, hy-
 potheses non desunt certa pro roboranda fide remedia & con-
 solationum fundamenta. XXVII.

Nam vindicatrici justitiæ Dei opponimus inexhaustam &
 planè catholicam ejusdem misericordiam, *Pf. 103. v. 11. 13. 17. Rom. 11. v. 32.*
 & fœdus gratiæ nobiscum initum in Baptismo, *Gal. 3. v. 27. Eph. 5. v. 26. Tit. 3. v. 5. 6. 9. 1. Pet. 3. v. 21.* ¶ Legali maledictioni oppo-
 nimus sublationem istius, à Christo factam, *Gal. 3. v. 13. Col. 2. v. 14.*

Accusationi diabolicæ opponimus interpellationem Chri-
 sti & Spiritus S. *Rom. 8. v. 26.*

Indignitati & indispositioni propriæ opponimus Dei fa-
 vorem, qui indignos, indispositos & peccatores diligit, *Rom. 5. v. 10.*
 & quorum gratiâ Christus venit, *Luc. 19. v. 9.* neq; nostra ju-
 stitia nisi debet propriis vel dispositionibus, vel meritis; sed u-
 nicè Christi merito, quod imputat omnibus media usurpanti-
 bus, nec obicem Spiritui S. ponentibus. Sensui peccatorum op-
 ponimus propitiationem Christi pro omnibus peccatis, *1. Iob. 2. v. 1. 2.*
 & exempla eorum, qui licèt graviter peccarint, veniam ta-
 men consecuti sunt, ut David, *2. Sam. 12. v. 13.* Manasses, *2. Chron. 33.*
 mulier peccatrix, *Luc. 7. v. 47. 48.* filius prodigus, *Luc. 15.* Petrus
 abnegator, *Luc. 22. v. 62.* latro in cruce, *Luc. 23. v. 34.* Judæi qui Chri-
 stū crucifixerāt, *Act. 2. v. 37. seq.* Paulus persecutor, *1. Tim. 1. v. 12. seqq.*

Morsui & iudicio conscientiæ opponimus responsum &
 iudicium ipsius Dei, *Es. 49. v. 14. 15. 16.* nec non efficacem absolu-
 tionem ministerii *Matth. 18. v. 18. Iob. 20. v. 23.* & contrarium Spiri-
 tus S. testimonium, *Rom. 8. v. 16.* quem in nobis habitare, infalli-
 biliter cognoscimus ex lucta illa carnis & Spiritus, quæ non ni-
 si in renatos cadit.

Opinio-



Opinioni de particularitate, opponimus certam Scripturæ sententiam de universali Dei erga totum mundum dilectione, *Ioh. 3. v. 16. 17.* & benevola voluntate, quâ vult omnes salvos fieri, *1. Tim. 2. v. 4.* & nullum perire, *Ezech. 33. v. 11. 2. Pet. 3. v. 9.* de universali Christi merito, & satisfactione pro cunctis hominibus, *Esa. 53. v. 6. Ioh. 1. v. 29. 2. Cor. 5. v. 14. 1. Tim. 2. v. 6. 1. Ioh. 2. v. 2. Heb. 6. v. 4. 5. 6. c. 10. v. 26. seqq.* de universali vocatione Spiritus S., & promissionibus Oecumenicis, *Esa. 55. v. 1. 6. 7. Zach. 1. v. 3. 4. Matth. 11. v. 28. Col. 1. v. 20.* religioso etiam juramento confirmatis, *Ezech. 18. v. 23. 32. 6. 33. v. 18. Ioh. 5. v. 24.* quæ in Christo suat Ita & Amen, *2. Cor. 1. v. 20.*

Præsumptioni de inefficacia verbi, Sacramentorum & precum, opponimus denuò Scripturæ sententiam de summa virtute verbi, *Esa. 55. v. 10. Rom. 1. v. 16. Heb. 4. v. 12.* de fine Sacramentorum, qui est confirmare, unde dicuntur *Phœ. videt, Rom. 4. v. 11.* ubi præcipuè urgemus Cœnam Domini, in qua sub pane ipsum Christi corpus; sub vino ipsum sanguinem Christi accipimus, ut ita ipsi inseramur, arctissimè jungamur, nec ullam ambigendi amplius causam habeamus; & de promissa precum exauditione, *Pf. 50. v. 15. Pf. 147. v. 9. Matth. 7. v. 7. c. 18. v. 19. c. 21. v. 22. Ioh. 14. v. 14. c. 16. v. 24. Iac. 1. v. 16.*

Absentiæ sensus motusq; spiritualis, opponimus exempla eorum, qui similiter putarunt, Deum à se aversum esse, quos tamen gratiâ suâ complexus est arctè, ut Jobi, Davidis, præcipuè Sionis, quæ opinabatur, Deum sui oblitum esse, quum tamen in maxima esset gratia, *Esa. 49. v. 14. 15. 16.*

Tandem, magnitudini infelicitatis temporalis opponimus Dei ordinationem, exempla aliorum, & promissiones assistentiæ & liberationis uberrimas.

XXVII.

Sub Cruce

Potrò, quòd pii etiam de *gratiosa presentia, & auxilio Dei sub Cruce* dubitent, adeo que infirmentur quoad fiduciam, notius est, quàm ut probari debeat. Sed plurimi consolationum fontes aperti sunt in Scriptura, contra quasvis afflictiones, ad erigendam vacillantem fiduciam. Singulæ causæ argumenta varia suppeditant.

Efficiens

Efficiens Deus est, *Deut. 32. v. 39. 1. Sam. 2. v. 6. 7.* qui noster Pater, Maritus, Medicus, à quo quicquid proficiscitur, haberi debet pro cura paterna, pro signo amoris maritalis, pro salutaris pharmaco. Hæ species vestesq; , si cruci superinduantur, non amplius afflicti, sed ornatu regio induti nobis videbimur. Considerentur insuper suavissimæ Dei promissiones, de assistentia sub cruce, *Psal. 34. v. 19. Ps. 91. v. 15. Esa. 42. v. 1. 2, 3.* de mitigatione crucis, *1. Cor. 10. v. 10. 2. Cor. 1. v. 3. 4. 7.* de deliberatione ex illa, *Psal. 34. v. 20. 23. Ps. 50. v. 15.* de compensatione tum temporali, *Psal. 68. v. 14. Luc. 6. v. 21.* tum æterna, *Matth. 5. v. 12. Iob. 16. v. 22. Iac. 1. v. 12. Apoc. 2. v. 10.*

Subiectum crucis pii sunt, & filii Dei. Quò igitur plus patiuntur, eò chariores Deo filios se esse colligant, quia castigat, quem diligit, *Prov. 3. v. 11. Heb. 12. v. 6. 1. Pet. 2. v. 19. 20.* & iudicium Dei à domo Dei incipit, *1. Pet. 4. v. 17.* Crux igitur signum est non indignationis divinæ; sed dilectionis paternæ. In via ad vitam es, quando pateris, quia per tribulationes nos oportet intrare in regnum cælorum, *Act. 14. v. 22.* Templum Spiritus es, quia is requiescit super ferentes crucem, *1. Pet. 4. v. 14.* Christo ita conformaris, quia & ipse crucem sustinuit, *Heb. 5. v. 8. 6. 12. v. 2.* & ipsum oportuit pati, antequam intraret in gloriam, *Luc. 24. v. 26.* Cur igitur Christi æmulator esse renuis? quum tamen oporteat nos ipsi conformes fieri, *Rom. 8. v. 28. 1. Pet. 4. v. 13.* & hæc ipsa conformitas nos certiores reddat de mystica cum Christo societate. Quò enim magis affligimur, eò magis cõformes reddimur, & arctius ipsi inserimur. Cur etiam non patienter ferres, quod imponitur onus, quum omnis sancti crucem portaverint, & sub cruce nihilominus suam in Deo fiduciam immotè collocatam habuerint!

Objectum, quod propriè tangit tribulatio, est *caro & sensus noster*, qui sub onere crucis non nihil malè habet: Interim regnat & triumphat Spiritus, patiente carne. Nos enim Christiani, licèt habitemus in terra, cives tamen sumus regni cælorum; Patitur ergo tantum id, quod in nobis terrenum; Meliori parte Reges sumus, mundi, & omnium passionum victores, *1. Pet. 2. v. 9, 1. Iob. 5. v. 18. Ap. 1. v. 6.*

C Forma-



Formaliter piorum afflictiones tantum *δοκιμασία* & ludii quidam Altissimi sunt: simulat se iratum, sed non est: Ludic nobiscum, ut Joseph cum fratribus, *Gen. 42. 43. 44. 45.* Cur igitur cœlesti Patri suum nobiscum lusum non æquo permitteremus animo?

In finali demum causa & effectibus crucis, panditur profundissima solatii & gaudii abyssus. Nam tribulatio nobis immititur propter gloriam Dei, uti testantur passiones Israelitarum in Ægypto, & propter nostram salutem, *Psal. 119. v. 71 Rom. 8. v. 18. Ap. 3. v. 10.* unde beatus prædicatur, quem castigat Dominus, *Psal. 94. v. 12.* Crux est magnes, quo ad Deum trahimur, *Matth. 15. v. 22. Ioh. 4. v. 49.* medicina, quâ curamur, *Psal. 119. v. 67.* collyrium, quo aperiuntur oculi mentis, *Es. 28. v. 10.* purgamentum, quo animus à voluptatibus seculi abstrahitur, *2. Sam. 12. v. 16.* incitamentum ad preces, *Es. 26. v. 16.* perfectio virtutis, *Es. 28. v. 19.* probatio fidei, *Ioh. 23. v. 10. Sap. 3. v. 5. 6. 1. Pet. 1. v. 6. 7.* confirmatio spei, *Rom. 5. v. 4. 5.* impeditio damnationis, *1. Cor. 11. v. 32.* mater fiduciæ, *2. Cor. 1. v. 9.* spiritualis notitiæ, *Os. 119. v. 71.* justitiæ, *Heb. 12. v. 11.* patientiæ, *Rom. 5. v. 1. Iac. 1. v. 2. 3.* obedientiæ, *Psal. 119. v. 69.* humilitatis, *2. Maccab. 9. v. 12.* contemptus præsentis vitæ, *1. Reg. 19. v. 4.* operatio ineffabilis gloriæ, *Rom. 8. v. 18. 2. Cor. 4. v. 17.* Nec enim semper patiemur; *uñ* est, momentaneum est omne infortunium, *Psal. 30. v. 6. 1. Pet. 1. v. 6.* sequetur autem certa liberatio, *Es. 34. v. 7. 8.* & æterna compensatio, *Ioh. 16. v.*

Hiscæ & similibus meditationibus fiduciam sub cruce languidam roborare & fulcire possumus, præsertim si accedat continuus usus mediæ divinitus præscriptorum; quæ sunt auscultatio verbi, recordatio Baptismi, usurpatio Cænæ Domini- cæ, qui largissimi fontes sunt cœlestis olei, quod ex iis semper affundi potest, ne lampas fidei nostræ extingatur, *Matt. 25. v. 9.*

XXIX.

Et quando dubitatur de perseverantia. Tandem, quod pii de perseverantia sua & salute futura dubium quoque concipiant nonnunquam, id extra omne dubium est. Sed etiam hîc mediæ dantur, & fundamenta, pro fiducia & certitudine salutis stabilienda, quæ sunt *promissio Dei,* quia

quia non tantum incipere, sed insuper vult perficere bonum. Opus coeptum in nobis, Phil. 1. v. 6. seria divini nominis pro perseverantia invocatio, quae nunquam est frustranea, Iob. 16. v. 23. continuata mediorum usurpatio, ex quibus uti fides primum concepta est; ita semper ali augeri potest; indefessum sanctitatis studium, quo certa ex nostra parte redditur vocatio, 2. Pet. 1. v. 10. serium non resistendi, nec mortaliter peccandi propositum, quia nihil impedire potest perseverantiam, & excutere Spiritum S. quam peccatum mortale, unde si quis mortaliter peccare nolit, de perseverantia sua certissimus esse poterit; causarum dubitandi absentia, siquidem nullum pro dubitatione proferri potest argumentum, ad quod non ex Scriptura facile responderi queat. Confer hic etiam, quae thesi 26. sunt proposita.

XXX.

III. IMPERFECTA est, rursus ratione omnium partium, ubi tamen Christum Salvatorem semper excipimus, qui licet non habuerit fidem specialem vel justificantem, quum author iustitiae, imò ipsa iustitia fuerit, Ierem. 23. v. 6. 1. Cor. 1. v. 30. non tamen caruit fide generali, quae fuit in ipso perfectissima, siquidem mysteriorum omnium habuit notitiam plenissimam, Coll. 2. v. 3. & assensum firmissimam, & fiduciam erga Patrem solidissimam, adeoque tum Deo, tum in Deum credit perfectissime. Sed nostrae fidei alia est ratio; Notitia enim mysteriorum imperfecta est, tum extensive, vel quoad obiectum, quia non omnia omnino scimus; sed ex parte cognoscimus, 1. Cor. 13. v. 9. tum intensive, quoad cognoscendi modum, quia quae scimus, non ita distincte & clare percipimus, siquidem nunc videmus per speculum in aenigmate, 1. Cor. 13. v. 12. Assensus similiter imperfectus est, tum extensive, quoad obiectum, quia non assentimur actu omnibus divinis veritatibus, quum non sint omnes revelatae, & inter revelatas multae adhuc sint incognitae & inexplicatae: quod spectant quaedam Ezechielis & Apocalypsis vaticinia; tum intensive, quoad assentiendi modum, qui saepius est implicitus, confusus, languidus. Fiducia tandem imperfecta est, non quidem in relatione, quoad obiectum apprehendendum; vel quoad ipsam apprehensionem, siquidem vera fides, sive robusta

s. Imperfecta est.

Quoad notitiam.

Assensum.

Et fiduciam.



robusta sit, sive infirma, totum tamen Christi meritum perfectè apprehendit, ut nobis credentibus imputeretur ad justitiam, Rom. 4. v. 5. 22. adeoque condonatâ imperfectione propriâ, donetur nobis perfectio Christi: per fidem perfectè apprehensâ: Sed quatenus absolutè consideratur, & virtus est, notans confidentiam, quæ licet in quibusdam magna sit ad tempus, non tamen est omni tempore talis, nec in summo perfectionis gradu cuiuspiam datur. Nam tota renovatio nostra est imperfecta, & novis subinde indiget incrementis, Luc. 17. v. 5. Rom. 7. v. 17. 2. Cor. 10. v. 15. Eph. 1. v. 17. 2. Theß. 1. v. 3. omnes insuper fideles luctam experiuntur continuam, usque ad finem vitæ, dum iis semper pugnandum est cōtra cœcitatē mentis, concupiscentiam carnis, diffidentiam, securitatem, similesq; affectus pravorum, imis medullis insidentes, Psal. 30. v. 7. 8. Rom. 7. v. 18. à quibus quum totaliter non liberemur in hac vita, omnem fidem nostram, sicut & bona opera, inde resultantia, imperfecta esse consequitur.

XXXI.

*Ubi simul
refutatur
Pontificij
statuētes,
quod
nostra re-
novatio sit
perfecta.*

Papicolæ quidem somniant, renovationem, & consequenter fidem renatorum imperfectam esse, quum omnia Dei opera sint perfecta; sed opinio isthæc non tantum ἄγρηφῶν, sed etiam ἀντιγρηφῶν est. Scriptura enim docet, quod omnes renati sint venundati sub peccato, Rom. 7. v. 14. quod in iis habitet peccatum, v. 18. 20. quod iis adiaceat malum, v. 21. quod in membris suis habeant legem, repugnantem legi mentis, & captivantem eos in lege peccati, v. 23. quam Paulus alibi vocat carnem, semper concupiscentem adversus Spiritum, Gal. 5. v. 17. unde fit, ut nemo sit perfectus, vel legem perfectè impleat; sed omnes sint impuri, Prov. 20. v. 9. & peccato contaminati, 1. Reg. 8. v. 46. Ps. 19. v. 13. Esa. 6. v. 5. 1. Ioh. 1. v. 8. Iac. 3. v. 2. omnisq; justitia nostra sit quasi pannus menstruata. Esa. 64. v. 6, non consistens in Dei iudicio, Ex. 34. v. 7. Iob. 5. v. 2. 3. 28. c. 15. v. 15. Ps. 103. v. 2. Ps. 143. v. 2. ideoque singuli opus habent petitione veniæ, Ps. 32. v. 5. Matth. 6. v. 11. & augmentis fidei, Luc. 17. v. 5. ut ita de die in diem magis magisque renoventur, 2. Cor. 4. v. 16.

XXXII.

Nec aliquid obtinere possunt ex eo, quod omnia opera Dei dicunt

dicunt perfecta esse. Hoc enim illimitatè & universalissimè acceptum probari nequit, quum Deus sit agens liberrimum; nec omnne, quod operatur & producit, in summo semper gradu perfectionis operetur & producat, unde in natura dantur imperfectè mixta, & imperfecta animalia, quæ non minus Dei, tanquam causæ primæ, & creatoris summi, sunt opera. Sic imperfecta & inchoata restitutio sanitatis in ægroto, omninò est opus & beneficium Dei, si maximè per hanc vitam plenariè non restituatur. Deinde Deus efficit *quædam* solus, sine nobis; *quædam* efficit unâ cum nobis. Ut maximè *illa* sint perfecta, sicut apparet ex creatione; solent tamen *hec* imperfecta esse, non quasi culpa sit Dei, ac si esset ipse ad eò impotens; sed causa hæret in nobis, & infirmitate nostra, quæ quum nobis semper adhæreat, quamdiu vivimus; hinc renovatio & fides *nostra* omnibus numeris perfecta esse non solet. Tandem illud etiam notandum est, quòd opera Dei considerentur *vel prout* sunt in fieri, & inchoata; *vel prout* sunt in esse, & consummata. Illo respectu sunt imperfecta, quippe nondum ad finem perducta; *post* absolutionem verò, suam fortiuntur & habent perfectionem. Sic moles illa indigesta, primo creationis die producta, erat quidem opus Dei, sed tamen imperfectum, quia creatio erat tantum inchoata & adhuc in fieri; cã verò finitã, tum vidit Deus omnia quæ fecerat, & ecce erant valde bona, ideoq; in suo quævis genere perfecta, Gen. i. v. 31. Jam quod attinet renovationem, quæ est quasi secunda nostri creatio, est ea, quamdiu vivimus; tantum in fieri, est duntaxat inchoata, quoniam magis magisque renovamur indies, unde illam imperfectam esse non mirum: In esse autem absoluto erit, quando resurgemus, & beatam cœli regionem intrabimus: Ibi evacuabitur, quod ex parte est, & sequetur mera perfectio: Ibi perficietur fidei nostræ *notitia*, quia Deum, & omnia in Deo plenè distincteq; cognoscemus; perficietur assensus, quia omnis aberit dubitatio; perficietur *fiducia*, quia Deo, ceu Patri, & Christo, ceu capiti, adhærebimus unicè & confidemus in omnibus ac super omnia. Non quidem in altera vita fides manebit, quatenus est argumentum non apparentium, Heb. 11. v. 1. vel *notitia* invisibi-

invisibilium & arcanorum, siquidem Deum non credemus, sed potius videbimus, magis erit visio, quam fides; nec manebit, quatenus est apprehensio meriti Christi, ut remittantur peccata, quum omnia jam dudum remissa & quasi sepulta sint: Manebit tamen ratione firmissimi assensus, & fiducia solidissima, quæ tunc erunt perfectissima, uti nunc sunt imperfecta, & haut rarò cum dubitatione conjuncta,

XXXIII.

4. Una est.

IV. UNA est, ut apertè testatur Apostolus, *Eph. 4. v. 5. Unus Dominus, Una fides, unum baptisma*; Et hinc omnes fideles dicuntur *ἑνὸς πίστεως* vel unam eandemq; fidem sortiri, *2. Pet. 1. v. 1.* ubi tamen notandum, quòd, uti fides certo respectu est una, sic alio respectu sit varia & diversa.

XXXIV.

Una est ratione *tum objecti*, quia una est veritas, quam credimus, (licet in Novo Testamento, quoad nonnullos articulos facta sit quædam immutatio) & unum Christi meritum, in quod credimus; *tum essentia*, vel quoad speciem, quia omnis vera & salvifica fides includit notitiam, assensum, & fiduciam, adeoq; eandem semper habet *ἑσῶς*, & per consequens eadem fuit in Veteri, eadem est in Novo Testamento; Nam *Tempora sunt Patribus, non variata fides*; Nec minus illi per fidem in Christum, justificati sunt, atque nos in Novo Testamento justificamur, de quibus vide *disput. de fine fidei, c. 5. th. 91. seqq.*

XXXV.

Certo tamen respectu etiam diversa est.

Diversa est partim *ratione subjecti*, vel *numero*, quia fides alia est in hoc, & alia in illo Christiano, siquidè tot sunt fides numericae, si liceret ita loqui, quot sunt fideles, quum quivis suâ fide vivat, non alienâ, *Hab. 2. v. 4. Jac. 2. v. 14*, quò spectat illud *Augustini*, lib. 13. de Trinit. c. 2. *Fides non est naturâ una, sed genere*, (intelligit universalem *ἑσῶς*, quam accuratè loquendo nominamus specificam) propter similitudinem tamen & nullam diversitatem magis unam dicimus esse, quam multas; partim *ratione graduum*, quando quidem in aliis est major, in aliis infirmior, adeoq; pro dimenso gratiæ divinæ se habet secundum plus & minus, de qua varietate suprâ satis egimus; partim *ratione modorum, & diversarum acceptionum*, ubi alia dicitur esse fides *generalis*, alia *specialis*; quædam nomina-

tur

tur explicita, quædam implicita; datur habitualis, & datur actualis; temporaria & perseverans; viva & mortua, de quibus distinctionibus peculiari disputat. agemus. XXXVI.

V. SINCERA est, & ἀνυπόκριτος. Loquimur autem de fide, qualis per se est, vel esse debet; nō qualis per accidens nonnunquam est vel esse solet, ubi non rarō fingitur, vel simulatur. Nam velut aliās veri Christiani & spirituales Israelitæ, carent omni dolo, Ioh. 1. v. 28 ἀμεμπτοι vel inculpati sunt, Luc. 1. v. 6. & ad veritatem Evangelii ὁρθοδοξοι vel rectè ambulant, Gal. 2. v. 14. Sic etiam fides ipsorum sincera est, & absq; omni fuce, sive generalis sit, vel dogmatica; sive specialis, vel salvifica, unde vocatur πίστις ἀνυπόκριτος fides nō ficta, vel sincera, 1. Tim. 1. v. 5. 2. Tim. 1. v. 5. Lutherus vertit vngefeybten, Piscator vngleichnerischen glauben/quod epitheton charitati quoq; tribuitur, Rom. 12. v. 9. 2. Cor. 6. v. 6. Fides igitur hypocritica & ficta, nō est vera sed fallax; nō univocè, sed æquivocè sic dicta. XXXVII.

5. Sincera est.

VI. RES EXIMIA & PRÆSTANS EST, quod evincunt omnes illius causæ. Nam quoad efficientē, est operatio, Col. 2. v. 12. & donum Dei, Eph. 2. v. 8. quoad instrumentalem est fructus labiorū Dei Es. 57. v. 19. & verbi divini Rom. 10. v. 18. quoad materialem, est certa notitia, Ioh. 17. v. 3. firmus assensus, Heb. 11. v. 1. filialis fiducia. 2. Cor. 3. v. 4. Heb. 11. v. 1. quoad formalem est λήψις, receptio vel apprehensio Christi, Ioh. 1. v. 12. quoad finalem & effectus est causa vitæ & salutis, Rom. 1. v. 17. 6. 3. v. 22. 25. 30. mater charitatis, Gal. 5. v. 6. anima veræ invocationis, Rom. 10. v. 14. &c. Referatur huc ea, quæ de fidei dignitate & præstantia antea diximus, disp. 1. th. 1. 2. 3. & disp. 3. th. 1. 2. 3. 4. XXXVIII.

6. Res eximia est.

VII. FRUCTUOSA vel UTILIS est, quoniam per notitiam & assensum intellectus, per fiduciam voluntas nostra perficitur; & mediante fide donatur Spirit. S. Gal. 3. v. 2. 14. Eph. 1. v. 13. illuminamur Eph. 3. v. 9. peccatorū remissionem consequimur, Act. 10. v. 43. justificamur, Rom. 4. v. 5. 6. 10. v. 4. adoptamur, Ioh. 1. v. 12. purificamur Act. 15. v. 9. Per fidem Deus in nobis habitat, Eph. 3. v. 17. ad Deum accedimus, Rom. 5. v. 12. spiritualiter vivimus, Gal. 2. v. 20. stamus, 2. Cor. 2. v. 24. Satanam & mundum vincimus, Eph. 6. v. 16. 1. Ioh. 5. v. 4. 5. cœlestem benedictionem, Gal. 3. v. 9. & salutem sempiternam impetramus, Matth. 16. v. 16. Ioh. 3. v. 36. 1. Pet. 1. v. 8.

7. Fructuosa.

XXXIX.



8. Ne-
cessaria.

IX. NECESSARIA est, *tum ratione nostri, & partim* quoad salutem nostram, quia nemo salvari potest sine fide, *Marc. 16. v. 16.* quum absque illa Deo placere sit impossibile, *Heb. 11. v. 9.* *partim* quoad sanctitatem nostram, & bona opera, quæ sine fide à nobis proficisci nequeunt, siquidem fides sola per charitatem est efficax, *Gal. 5. v. 6.* & eò accommodare possumus illud Pauli: Quicquid non est ex fide, peccatum est, *Rom. 14. v. 23.* *tum ratione sui*, ubi triplicem includit necessitatem, ob quam se aliter habere nequit. *Prima* est ex parte objecti, vel rei, quæ creditur, siquidem ea non potest se aliter habere, quam prout revelata est, & creditur. *Secunda* est ex parte subjecti vel credentis, quia qui credit, ille firmiter persuasus est, rem aliter se habere non posse. *Tertia* est ex parte medii, vel causæ credendi, quæ est divina autoritas, cujus hæc conditio, ut per eam nulla fieri possit deceptio.

XL.

9. Certa.

IX. CERTA est, respectu *assensus*, per certitudinem theoreticam, respectu *fiducie*, per certitudinem practicam. Est quidem facultas cognoscens vel intellectus subjectum certitudinis proprium ac primarium; quia tamen voluntas ab intellectu certò determinatur, & ad finem suum movetur; hinc participativè & *ἐνεργητικῶς* certitudo etiam datur in facultate appetente, vel voluntate, quæ distinctionis gratiâ nominari potest *practica*, ut illa, intellectus, *theoretica*.

VLI.

Secundum certitudinem theoreticam.

Est autem *certitudo fidei theoretica* nihil aliud, quam firmitas assensus in credente, respectu sui objecti, quod cognoscendum offertur; de quo cognoscens, adeò persuasus est, ut firmiter ei adhærescat, nullumq; dubitationi locum relinquat. Fertur verò assensus fidei in veritatem revelatam vel verbum Dei, quod quum sit ipsa veritas, *Iohan. 17. v. 17.* hinc intellectus credentis illud recipiens, certissimus fit, ita se rem habere, prout revelata, & sacris literis consignata est, ut nulla prorsus ambigendi causa supersit, licet caro & petulca ratio subinde quasdam dubitationes injicere moliatur. Nam ea, quæ divino testimonio,

XIXXX

testimonio, cujus summa & infallibilis est authoritas, nituntur, summam quoque pariunt certitudinem, ac respectu hujus causæ, quæ nec fallere, nec falli potest, longè certiora sunt quæ credimus, quàm quæ rationis humanæ, quum illa & fallat & fallatur, ductu ac lumine scimus.

XLII.

Certitudo fidei practica oritur ex apprehensione promissionis. Et practicum gratiæ indubia, unde credens non tantum novit, sed una firmiter confidit, sibi remissa esse peccata, se vivere in statu gratiæ, se esse Filium Dei, & hæredem vitæ æternæ. Quod enim fides sit talis fiducia & πληροφορία, istud ab etymo nominis, à synonymis, à testimonio interpretum, à manifestis dictis, à locis parallelis, à proprio fidei obiecto, à forma, effectibus, metaphoricis descriptionibus, exemplis, precationibus, oppositis, authoritate Patrum & adversariorum, disp. i. th. 48, seq. abundè satis demonstratum est. Improbamus igitur Papisticum dogma, de incertitudine credentium & poenitentium, quod nullus ex iis tum de gratia Dei in præsententi, tum de sua perseverantia & salute in cœlis futura, certus esse possit, circa quam controversiam notari debet dissensio Pontificiorum, tergiversatio Concilii Tridentini, opinio Bellarmini, assertio Romanensium, de peccatorum venia dubitandum esse, Origo & fontes hujus dogmatis, Expositio nostræ sententiæ, τὰ μὴ ζήτησιμα, verus controversiæ status, argumenta dubitationis dogmati opponenda, & objectionum Papisticarum refutatio, de quibus omnibus prolixè disserui, Decade 3. ἀνθρωπ. disp. 29. & 30.

XLIII.

X. CERTO COGNOSCI POTEST A SUO IO. A suo POSSESSORE. Ubi quidem Pontificii, ob præconceptum possessio-impium dubitationis dogma, negativam tenent, asserentes, re certò quod nemo possit certò cognoscere, cum primis certitudine fidei, se habere vel habitum, vel actum veræ fidei supernaturalem, de quo videri potest Becanus, Part. 2. Theol. Scholast. Tomo post. Tract. i. cap. ii, quæst. 5. pag. 173. Nobis autem affirmativa placet, quam ipsam confirmare possumus

1. Dictis Scripturæ. i. Cor. ii. v. 28. δοκιμαζέτω, probet se ipsum homo, & sic de pane illo edat. Probatio autem Christiani

Quod ipsum pro-
batur
Dictis Scri-
pturæ.

D



Christiani consistit in eo, ut experiatur, num contritione, verâque fide sit præditus, sine qua panem Eucharisticum dignè manducare haut potest. Quòd si ergo Christianus se probare potest & debet, utique simul agnoscere poterit, num fidem habeat, aliàs probatio isthæc foret impossibilis & supervacanea. Cum primis autem illustre est dictum, 2. Cor. 13. v. 5. *Vosmetipsos tentate, si estis in fide, ipsi vos probate. Annon cognoscitis vosmetipsos, quia Christus Iesus in vobis est? Nisi forte reprobi estis.* Hic Paulus præcipit explorationem propriæ fidei: Quod autem præcipitur, nisi possibile sit, frustra præcipi, dicunt Pontificii. Et additur, reproborum esse, non cognoscere Christum inhabitantem. Hoc igitur cognoscere, omnium piorum & verè credentium erit proprium. Nihil solidi possunt hîc reponere Pontificii, nec dignæ sunt eorum exceptiones, ut operosè refutentur. Videre autem illas poteris apud *Becanum*, loco dicto pag. 175. & *Bellarminum*, lib. 3. de Justificat. col. 11.

*Ab interno
Spiritus S.
testimonio*

2. Urgemus internum Spiritus S. testimonium, de quo loquitur Paulus Rom. 8. v. 16. *Ipse Spiritus testimonium reddit Spiritui nostro, quòd sumus filij Dei*, 1. Cor. 2. v. 12. *Nos accipimus Spiritum qui ex Deo est, ut sciamus, quæ à Deo donata sunt nobis.* Et Johannes 1. Epist. 2. v. 20. *Vos unctiorem habetis à Sancto, & noscitis omnia: v. 27. Nec necesse habetis, ut aliquis doceat vos, sed unctio ejus docet vos de omnibus.* Cap. 5. v. 10. *Qui credit in Filium Dei, habet testimonium Dei in se.* Jam si ex interno illo testimonio Spiritus S. cognoscimus, quòd sumus filij Dei, & quæ donata nobis sunt à Deo; utique simul cognoscemus, quòd verâ fide simus præditi, quippe sine qua nemo Filius Dei esse potest. Nam iis tantùm, qui credunt in nomen Christi, datur potestas, filios Dei fieri *Iohan. 1. v. 12.* Et si unctio sancti nos docet omnia, utique & hoc docebit, an verâ fide præditi simus nec ne.

A fidei natura.

3. Idem porrò evincit ipsa fidei natura & conditio. Sic cum ipsa comparatum est, ut quasi reflectatur in seipsam, & credentem ita moveat, ut dum credit, simul sciat & experiatur se credere. Ut enim datur intellectio duplex: *Recta*, quâ intelligimus alia omnia extra nos; & *Reflexa*, quâ anima intelligit

intelligit seipsam, & per quam intelligimus nos intelligere: Ita videtur etiam de fide Christiani statuendum esse, quod ea vel sit *recta*, quâ credimus alia objecta omnia; & quæ unice nititur revelato Dei verbo; vel *Reflexa*, quâ credimus nos credere; quâ scimus, nos assensum & fiduciam habere, quæ fides non resolvitur in expressum Dei verbum; sed quasi in seipsam reflectitur. Ut igitur, qui rem actu intelligit, semper unâ scit se intelligere; Ita qui acta, vereq; credit, is semper unâ scit, se credere, excepto tamen tentationis tempore, ubi fidei, non quidem tam dogmaticæ quàm salvificæ sensus & reflexus languidior est, ut sæpius planè non adesse videatur. Valdè autem absurda est exceptio *Becani*, scribentis pag. 177. *Sicut is, qui actu scit, experitur in se actum sciendi; sic is, qui actu credit, experitur in se actum credendi. Non tamen experitur, an actus ille sit supernaturalis & infallibilis, nec ne.* At verò id ipsum experitur, quia scit, quòd assensum præbeat non ob rationes physicas & probabiles, sed propter Dei verbum, unde sequitur, istum assensum esse super naturalem & infallibilem, quippe infallibili verbo, & veritati hyperphysicæ innixum.

4. Accedit experientia, in piorum exemplis fundata, *Ab experientia* qui utique crebrò sentiunt clarissimè, quòd sint in gratia Dei, *entia.* verâque fide præditi. Huc refer sequentia dicta & exempla, 2. Tim. 1. v. 12. *Scio, cui credidi,* (Ergo etiam scivit, quòd crederet) & *certus sum, quia potens est depositum meum servare in illum diem.* 1. Joh. 3. v. 54. *Nos scimus, quia translati sumus de morte in vitam, quoniam diligimus fratres,* Cap. 4. v. 13. *In hoc cognoscimus, quoniam in eo manemus, & ipse in nobis, quoniam de Spiritu suo dedit nobis.* Cap. 5. v. 19. *Scimus, quoniam ex Deo sumus.* v. 20. *Scimus, quoniam Filius Dei venit, & dedit nobis sensum, ut agnoscamus verum Deum & simus in vero filio ejus.*

5. Non immeritò urgemus etiam signa illa, ex quibus de possessione & præsentia veræ fidei aliquis potest reddi certissimus. Talia verò sunt serium gratiæ divinæ desiderium, quia beati sunt, qui esuriunt & sitiunt justitiam, *Matth. 5. v. 6.* quotidiana carnis & Spiritus lucta, quæ non nisi in renatos & creden-

credentes cadit, Gal. 5. v. 17. interni motus & compunctiones cordium, quæ inter audiendum verbum crebrò sentiuntur, Luc. 24. v. 32. Act. 2. v. 37. & studiosa legis observantia, vel quotidianum bonorum operum exercitium, quia fides per charitatem vel bona opera efficax est, Gal. 5. v. 6. & qui lubenter & cautè orat, eum à Spiritu precum, Zach. 12. v. 10. gubernari, veràq; fide, quæ precum anima est, præditum esse consequitur.

A testimo-
nio Au-
gustini.

Tandem 6. Addimus Augustini testimonia, qui Tomo 2. epistola 112. c. 3. scribit: *Fides ipsâ mente utiq; videtur, quamvis hoc fide credatur, quod non videtur.* Et mox sic de homine fide-
li: *Videt ipsam fidem suam, quâ se credere sine dubitatione respondet.* Et cap. 4. *Menti nostræ fides nostra conspicua est.* Et cap. 5. *Mente videmus ipsam in nobis, quâ credimus fidem.*

XLIV.

Neg, ar-
gumenta
contraria

In contrarium duo cum primis argumenta Becanus obijcit, ad quæ breviter respondebimus.

Primum habetur pag. 174. *Nemo potest evidenter cognoscere, quicquam se habere assensum fidei supernaturalem, & infallibilem, nisi prius evidenter cognoscat, illud verum esse, cui assentitur: At nemo potest evidenter cognoscere, vera esse mysteria, quibus assentitur, quum fides sit substantia rerum non apparentium, (Heb. 11 v. 1.) Ergo nemo potest evidenter cognoscere, se habere assensum fidei supernaturalem & infallibilem.*

Respon. Major propositio fallit, quia licet non evidenter cognoscamus vera esse, quibus assentimur, possumus tamen evidenter cognoscere, quod assentiamur, vel assensum fidei infallibilem habeamus, quum hic assensus resolvatur in internum Spiritus S. testimonium, & fundetur in proprio sensu, signisq; infallibilibus. Sic Jobus, David, Paulus & alii sciebant evidenter, quod crederent, quantumvis ea mysteria, quæ credebant, vera esse evidenter non cognoscerent.

Secundum extat pag. 175. & ita proponitur: *Nihil creditur fide divinâ, nisi quod à Deo revelatum est, quum assensus fidei debeat niti auctoritate Dei revelantis. Non est autem revelatum à Deo, me habere assensum fidei supernaturalem. Ergo hoc non possum credere fide divinâ*

de divinâ. ac proinde non possum esse certus certitudine fidei, me habere talem assensum.

Resp. Hic repetenda est distinctio superius proposita, inter fidem Rectam, quâ cognoscimus, simulq; pro veris habemus divina mysteria; Et inter fidem Reflexam, quâ cognoscimus & credimus, nos illa cognoscere & credere. Major syllogismi Jesuvvici tantum vera est de fide recta, quæ non nisi auctoritate Dei revelantis nititur; sed vera non est, si ad fidem quoque reflexam extendatur: Nostra verò thesis agit de fide reflexa, quæ non in scripto Dei verbo; sed in interno testimonio, proprioq; sensu, & signis infallibilibus fundatur, quâ unâ distinctione & hoc, & similia argumenta satis solidè refutari possunt.

XLV.

XL CERTO COGNOSCI NON POTEST, RESPECTU ALIORUM POSSESSORUM. ii. Certo cognosci nequit respectu aliorum possessorum.
Loquimur v. non de infantibus, quos per baptismum regenerari, adeoq; fide verâ imbutos esse, quum nullum ponant obicem, meritò censemus & credimus; Sed de adultis, qui licet profiteantur foris fidem dogmaticam, & bona opera edant, tâquam signa salvificæ fidei; nihil tamen de ipsis infallibiliter affirmare possumus, quia ignoramus, num professio, & externa illorum opera sint seria; num verò hypocritica & simulata. Proinde distingui debet inter iudicium veritatis, & inter iudicium charitatis. Illud prorsus infallibile; hoc tantum conjecturale est. Prius competit soli Deo, qui corda introspectit; Posterius competit nobis hominibus, qui ab externis signis dependemus, & hinc de aliorum fide iudicium sumimus. Quia enim Charitas omnia sperat, 1. Cor. 13. v. 7. hinc etiam de aliorum, præsertim piè quoad externam formam viventium, fide fideique simplicitate benè speramus, nec facilè quempiam pro hypocrita habemus. Interim iudicium hoc non est apodicticum, & infallibiliter certum, quum ab opinione nostra, & spe bona dependeat. Hinc Apostolus Petrus Sylvanum non absolutè fidelem nominat, sed limitatè, secundum opinionem suam. Per Sylvanum, inquit, fratrem, ut arbitror, fidelem scripsi, 1. Pet. 5. v. 12.

XLVI.

12. Sem-
per im-
pugnatur
adeoq; in
perpetuo
certami-
ne versa-
tur.

XII. SEMPER IMPUGNATUR, ADEOQUE
IN PERPETUO CERTAMINE VERSATUR. Ut
enim Ecclesia in his terris; sic fides illius merito appellatur *Mi-
litans*; uti contra Ecclesia & fides beatorum in caelis nuncupa-
tur *Triumphans*. Militia est vita hominis super terram, *Iob. 7.
v. 7.* certamen continuum est, usq; ad mortem, *2. Tim. 4. v. 7.* Quare
sibi quis Christianus dictum putet, quod dictum est Timo-
theo: *Patere sicuti bonus miles Iesu Christi*, *2. Tim. 2. v. 3.* Fides
verò dogmatica & salvifica impugnatur, *partim intus* per varias
dubitationes, à carne & Satana suggestas; *partim foris*, & quidem
vel violentè, per tyrannorum, mundiq; persecutiones, *vel frau-
dulentiè*, per hæreticorum, fratrumq; falsorum strophas, ut in-
star Israelitarum alterâ manu quidem ædificare possimus; sed
alterâ manu gladium tenere, semperq; militare necessum habe-
amus, *Nehem. 4. v. 17.* quod Deus eum in finem ita fieri vult, ut fi-
des piorum probetur, sopita excitetur, & subinde magis ma-
gisq; confirmetur.

XLVII.

13. Nun-
quam to-
ta vinci-
tur, aut
suppri-
mitur.

XIII. NUNQUAM TOTA, VEL RESPECTU
OMNIUM CREDENTIUM VINCITUR AUT
SUPPRIMITUR. Sæpè quidem fit, ut in quibusdam fide-
libus fides dogmatica & salvifica non tantùm impugnetur; sed
etiam expugnetur, siquidem à fide multi defecerunt, & adhuc
deficere possunt; nunquam tamen fit, ut fides tota, & respectu
omnium credentium exstinguatur, siquidem aliàs ipsam oportet
Ecclesiam penitus perire, quæ tamen semper manet us-
que ad finem seculi, quum supra petram ædificata sit, ut etiam
portæ inferorum adversus illam prævalere nequeant, *Matth. 16.
v. 18.* Ut igitur Ecclesia; sic Ecclesiæ fides quoq; premitur, non
tamen supprimitur; mergi potest, submergi nō potest; nonnun-
quam impugnatur, sed nunquam expugnatur. Hæc enim est vi-
ctoria, quæ vincit mundum, fides nostra, *1. Iob. 5. v. 4.* Sæpè af-
fixerunt me à juventute mea, dicat nunc Israel; Sæpè affixe-
runt me à juventute mea, & non prævaluerunt, *Pf. 129. v. 1. 2.*

14. Chari-
tate & cæ-
teris vir-

XLVIII.

XIV. CHARITATE, ET CÆTERIS VIRTU-
TIBUS

TIBUS PRIOR EST. De fide dogmatica concedunt hoc tutibus
 lubenter ipsi Pontificii; sed negant de salvifica, quippe quam prior est.
 à charitate formam suam ac vim justificandi accipere somni-
 ant, ideoq; charitatem fide priorem esse statuunt; sed contra,
 Deum, Christumq; nemo diligit, nisi Spiritum S. habeat inhabi-
 tantem; *Charitas enim diffusa est in cordibus nostris per Spiritum S.*
qui datus est nobis, Rom. 5. v. 5. Et nemo potest dicere, Dominus Iesus,
nisi in Spiritu S. 1. Cor. 12. v. 3. At nemo hunc Spiritum habet in se-
se, nisi justificatus; Non autem, nisi ex fide, justificamur: Hæc i-
psa ergo præcedit ordine justificationem, in habitationem Spi-
ritus S., novam obedientiam, charitatem & vittutes cæteras.

XLIX.

XV. NON TANTUM IN ADULTOS; SED 15. NON
 ETIAM IN INFANTES CADIT. Pontificii & Calvinia- tantum
 ni infantibus quoque baptizatis & pleno rationis usu destitutis, in adul-
 tribuunt fidem; sed illi *habitualement*, isti *virtualement* tantum: Nos tos, sed
 autem statuimus, quod ipsam *actualement* fidem habeant, vel actu etiam in
 secundo credant, de quo quum actum sit *disput. 1. de fide, th. 127. infantes*
seqq. & ista quæstio proprie spectet ad locum de Baptismo, pro-
lixiores hîc esse nolumus.

L.

XVI. SPEI ET CHARITATI COGNATA, charitati
 AB UTRAQ; TAMEN SIMUL DISTINCTA EST. cognati-
 Conveniunt hæ tres virtutes, tanquam divinæ Charites, quo ad ta, ab u-
 causam efficientem, quia solius Dei sunt charismata & dona; mate- traq; ra-
 riale, quia in solo verbo sunt præscriptæ & descriptæ; forma- men si-
 lem, quia in congruentia cum Dei voluntate consistunt; fina- mul di-
 .em, quandoquidem ad gloriam Dei & salutem hominum pro- stincta
 movendam directæ sunt. est.

LI.

Differunt autem 1. *junctim*, quia *spes & charitas* sunt instar so- he virtutes
 bolis, *fides* instar matris: *Fides & spes* solum Deum pro objecto *multifari-*
 habent; *Charitas* simul proximum. *Fides & spes* partim ad le- am.
 gem; partim ad Evangelium: *Charitas* ad solam legem pertinet. Et differunt
Spes & fides certo respectu cessabunt in altera vita; sed *Charitas junctim.*
 manebit, quæ vocatur etiam virtus maxima, 1. Cor. 13. v. ult.

tum

tum ob istam perpetuam durationem; tum præcipuè quoad latitudinem, & usum ad proximum, quia *fides* & *spes* non egrediuntur credentis & sperantis personam, *charitas* verò egreditur personam diligentis, & alios quoque homines complectitur, iisq; prodest.

LII.

Ac seorsum.

Seorsum differunt *fides* & *spes*. Nam *fides* est notitia, assensus, fiducia; *Spes* est expectatio certa: *Fides* fertur in præsentia, *spes* in futura; *Fides* respicit promissiones, illis assentiendo & fido, *spes* respicit bona promissa, illa expectando, unde Lutherus scitè; *Fides* intuetur verbum rei, *spes* autem rem verbi. *Fides* fundamentum spei; *spes* fulcrum fidei est. *Fide* stamus in gratia; *spe* perstamus, donec plenè re creditâ fruamur.

LIII.

Differunt quoque seorsum *fides* & *charitas*. Nam *fides* recipit, *charitas* dat & erogat. *Fides* efficit Dei filios, *Iob. 1. v. 12. charitas* probat & ostendit, *Iob. 13. v. 35.* Sola *fides* justificat, *charitas* justificationem indicat. *Fides* iustitiæ causa; *charitas* nota est. *Fides* antecedit, *charitas* insequitur. *Fides* audit Deum promittentem, *charitas* præcipientem. *Fides* respicit opera Dei; *charitas* refertur ad opera nostra. *Fides* habet vim apprehensivam; *charitas* egressivam. *Fides* consistit partim in mente, quoad assensum; partim in voluntate, quoad fiduciam; sed *charitas* formaliter solam voluntatem perficit, atq; sic in ea sola residet.

LIV.

17. Rara est, ante diem ultimum.

XVII. RARA EST ANTE DIEM ULTIMUM. Ita enim legitur *Luc. 18. v. 8. Filius hominis veniens, putas inveniet fidem in terra?* Extra dubium est, hoc loco de adventu Christi ad iudicium agi, & ultimum mundi statum describi: sensumq; non esse alium, quàm istum; *Circa mundi interitum rara erit fides, pauci fideles.* Quæritur autem, quid per *fidem* hîc intelligendum sit? ubi variant Patres & interpretes. Augustinus cum Hieronymo exponit *de fide perfectissima*; Lyranus & Hugo Cardinalis *de fide viva, per dilectionem operante*; Ambrosius & Euthymius *de fide dogmatica*; Bonaventura *de fidelitate & confidentia*; Theophylactus *de fide humana vel fidelitate in contractibus*: quæ exposi-

expositiones omnes conjungi possunt, præter primam, quæ minus videtur probabilis. Nam de tali fide Salvator loquitur, quæ ante finem mundi præcipuè defutura, cujusq; raritas adventantis Domini signum sit. Fides autem perfectissima semper absuit. Ab initio mundi usque ad hæc tempora, nulli fuerunt perfectà fide præditi, quia *divinorum munerum nondum est perfecta perfectio, siquidem omnis perfectus adhuc perfectionis est indigus, juxta Fulgentium lib. 1. ad Monimum.* Quum ergo vel nulla fides detur perfecta, vel si in comparatione detur, non minus rara semper fuerit, quàm circa finem mundi sit, utique illud Salvatoris dictum non ita commodè de fide perfecta potest intelligi. Cæteræ autem expositiones, quia non contrariæ, sed subordinatæ, omnes conjungi possunt. Nam quum Christus in genere loquatur de fide, cur illud ad certam duntaxat fidei speciem restringeremus? Concordant alia vaticinia, ut *Matth. 24. v. 24. 37. 2. Thes. 2. v. 3.* & confirmat ipsa experientia, quòd omnis fides, tam erga homines, quàm erga Deum; tam dogmatica, quàm salvifica, hisce ultimis temporibus maximam partem exspiraverit.

LV.

In primis autem, quòd fidei etiam dogmaticæ prænunciatur raritas, nos primi non docemus, multò minùs ex Donatistarum cathedra hanc ἐξήγησιν clepsimus, uti nobis affingit *Iacobus Reihing*, adhuc Jesuvvita quum esset, in excubiis, pag. 26. 27. Idem docuerunt olim *Patres*, idem etiamnum docent quidam Jesuvvitæ, præsertim *Barradius*, qui Tomo 3. concord. Evangel. l. 4. c. 12. pag. 279. hæc habet: *Potest etiam locus (Luc. 18.) explicari de fide simpliciter: ita ut significet Christus, extremo illo tempore fore paucos fideles Christianos; siquidem Antichristi persecutione agitati, à fide recedent plurimi; pauci verò j. dem conservabunt.*

MEMBRUM II.

DE FIDEI DOGMATICÆ ATTRIBUTIS PARTICULARIBUS,
VEL PROPRIIS.

E

LVI.



LV.

Fides *alia* dicitur dogmatica; & *alia* salvifica. Illa duntaxat notitiam & assensum; *hæc* præterea fiduciam, vel fiducialem meriti Christi apprehensionem includit. Utraq; suas peculiare habet affectiones, præter illas communes hæcenus enumeratas. Fidem verò dogmaticam quod concernit, non tam multa occurrunt attributa ejus specialia, ideoq; ista paucioribus lineis expedire poterimus,

Fides dogmatica est

LVI.

Generalis.

Est autem fides dogmatica, I. GENERALIS, sic dicta, quòd in omne Dei verbum feratur, illiq; assensum præbeat; sicuti *dogmatica* nuncupatur, quoniam cum primis circa fidei dogmata vel articulos versatur. Est enim assensus nostri objectum geminum; *Alterum* adæquatum; *alterum* primarium. *Illud* est omne & solum Dei verbum, exclusis traditionibus humanis omnibus; *hæc* sunt præcipua dogmata, scilicet ad salutem necessaria. *Ab illo* generalis: *ab hoc* dogmatica; velut *ab objecto historico*, vel potius ab assentiendi modo, *historica* fides denominatur.

LVII.

Est igitur hæc prima fidei affectio, quòd *assentiatur generatim omnibus, in Scriptura contentis*, sive sint historiae, sive dogmata, sive præcepta, sive promissiones aut cõnationes. Nemo enim fidelis titulum meretur, nisi qui absq; dissensu assentitur omnibus, in sacro codice ad credendum propositis. Unde non immeritò damnatus est *Apelles Marcionita*, qui disputat apud Eusebium, non nocere, si quis reliquis divini verbi partibus, quæ ad fundamentum non pertinent, vel prorsus non credat, vel pravè credat, modò in Christum crucifixum credat.

LIX.

2. Diverso respectu, implicita,

II. IMPLICITA est, quoad quædam objecta particularia; sed EXPLICITA quoad articulos fidei fundamentales. Nam ut de *priori* prius dicamus, sufficit, si generatim omnia pro infallibiliter veris habeantur, quæ Scripturis comprehensa sunt, licet in specie nec omnia sciamus, nec omnium recordemur, adeoque actu distincto non assentiamur. Multa enim sunt, præfer-

præsertim quoad vaticinia Ezechielis & Apocalyptica, quorum certam intelligentiam nondum assequimur, unde diversas eorundem explicationes in dubio relinquimus, & assensum plenum suspendimus, id quod vitio nemini potest verti, modò animum dissentendi non habeat, quando ista, quæ adhuc latent & obscura sunt, rectè explicantur. Hinc Scholastici docent, & cum iis *Becanus* part. 2. Theol. Schol. Tomo post. tract. r. c. 12. p. 197. Duo esse præcepta fidei; unum affirmativum, quod obligat nos ad credendum mysteria fidei, cujus propterea dicitur esse una copulativa; alterum negativum, quod obligat nos ad non dissentendum à quocunq; objecto, in Scripturis revelato.

LIX.

Longè autem alio sensu fidem dogmaticam nos dicimus esse implicitam. & alio Papistæ. Nos enim respicimus objecta tantùm quædam Scripturæ particularia, quæ ipsum fidei fundamentum non ingrediuntur, nec articulos principales constituent: sed illi per fidem implicitam intelligunt crassam præcipuorum dogmatum, scitu necessariorum, inscitiam, modò quis fateatur, se credere id, quod credit Ecclesia, quam vulgò vocamus fidem carbonariam, ab historia carbonarii cujusdam, qui à Satana interrogatus, quid crederet, per circulum respondisse dicitur; se credere, quod credat Ecclesia; Ecclesiam credere, quod ipse credat; & se rursus credere, quod Ecclesia credat, & Ecclesiam credere, quod ipse credat: quo circulari responso delusum esse, & cessasse ferunt Satanam, adeoq; fidem illam Pontificii quidam & Canonistæ singulariter commendant, (à quibus divortium facere videtur *Becanus*, l. d. p. 181.) quum tamen nihil aliud sit, quàm crassa & illicita quædam ignorantia. Nam Spiritus S. fidem definit per spiritualem *σύνεσιν*, vel intellectum, *Matth. 13. v. 19.* per *ἴσχυρον* vel notitiam *Tit. 1. v. 1.* ac vult verbum Christi inter nos habitare abundanter, *Col. 1. v. 16.* jubet cavere Pseudopphetas, *Matth. 7. v. 15.* probare Spiritus, *1. Ioh. 4. v. 1.* & Christi vocem ab aliena discernere, *Ioh. 10. v. 5.* ut parati simus ad satisfactionem omni poscenti ratione de ea, quæ in nobis est spe, *1. Pet. 3. v. 15.* Hinc beati pronunciantur, qui in lege Domini meditantur die ac nocte, *Pf. 1. v. 2.* & Berhoenses hoc nomine celebres sunt, qui non solum susceperunt verbum *μετὰ πάσης ἀεθουσίας*, sed etiam scrutati



rati fuerunt Scripturas quotidie, num hæc ita se haberent, *Ab.*
17. v. 11.

Et expli-
cita.

LX.

Cæterum, quinam fidei articuli non implicitè, sed explicitè sint credendi, diversa leguntur sententiæ. *Thomas* 2. 2. quæst. 2. art. 7. *tria*, inquit, *explicitè credenda esse*, quòd Deus sit, quòd *Remunerator sit*, quòd *Redemptor sit*. Quum verò articulus Incarnationis præsupponat articulum Trinitatis, siquidem secunda persona incarnata est; hinc addunt alii, articulum Trinitatis non minus explicitè credendum esse, sufficere tamen, si credatur ille confusè, & generaliter, non autem distinctè. *Becanus* part. 2. Th. Schol. Tomo post. tract. 1. c. 2. quæst. 2. disputat; *duos esse principales articulos*, qui semper necessarii fuerint ad salutem, & in quibus reliqui omnes contineantur implicitè; (1.) Deum esse, (2.) Deum habere providentiam circa homines. Cap. 12. p. 180. asserit, omnes Christianos obligari ad credenda explicitè omnia mysteria in symbolo Apostolorum comprehensa. Dissentiunt tamen alii, præsertim *Medina*, lib. 4. de recta in Deum fide, c. 6. *Richardus* in 3. dist. 25. quæst. 2. *Gabriel* ibidem, quæst. 1. art. 2. qui docent, satis esse, credere illa explicitè, ex quibus pendet Christianæ fidei institutio, cujusmodi sunt Existentia Dei creatoris, Mysterium Trinitatis, Incarnationis, passionis Christi, ac remissionis peccatorum, cum aliis, quæ in Symbolo continentur. *Durandus* in 3. dist. 25. quæst. 1. num. 9. & *Bonaventura* ibidem, quæst. 3. tradunt, satis esse, credere explicitè illa mysteria, quæ solenni ritu in Ecclesia celebrantur, quia videatur per illum ritum Ecclesia significare, illa mysteria esse ad salutem necessaria, non item reliqua. Tam pulchrè nimirum consentiunt Cadmæi isti fraterculi. Ulterius disputat *Becanus* lib. d. c. 12. quæst. 2. pag. 187. *explicitam fidem divinitatis & mortis Christi non fuisse necessariam necessitate medi in Vet. Test. quia Iudæis non fuerit communiter notum, Messiam esse verum Deum, & pro hominibus moriturum*: id quod grata manu accipient Photiniani, & hinc inferent, alio modo Patres justificados esse, quam Christianos, quum illi per fidem in Christi mortem non dicantur justificati. An autem explicita fides divinitatis & mortis Christi sit medium necessarium ad salutem

tem

rem in Novo Testamento, immane, quantum illi dissentiunt. Quidam simpliciter negant, ut Vega l. 6. super Concil. Trident. c. 19. & Medina l. 4. de recta in Deum fide, c. 20. Quidam distinguunt, asserentes, fidem explicitam Christi non quidem esse medium necessarium ad justificationem; esse tamen necessarium ad beatitudinem, ut Canus in Relect. de Sacram. in genere, p. 2. q. 2. concl. 3. & Bannes 2. 2. q. 2. art. 8. dub. 3. concl. 1. & 2. Quidam illud ipsum affirmant, ut Valentianus, T. 3. q. 2. pun. 4. assert. 3. & Becanus, l. d. p. 188. Annon verò deplorandum est, necessitatem illius maximè fundamentalis articuli de divinitate & merito Christi à Papistis in dubium vocari, disputariq; , aliquem salvari posse, si maximè nec sciat, nec credat, Christum Dei filium pro nobis esse mortuum?

LXI.

Sed missis istis disputatoribus vanis, nos breviter distinguimus inter articulos fidei fundamentales vel principales; & minus principales. Horum explicita fides non est ad salutem simpliciter necessaria, quasi eâ non positâ, salus æterna impetrari nequeat. Illorum tamen fides explicita requiritur ab uno quoque Christiano, qui salutem adipisci cogitat. Quinam verò & quot articuli præcisè sint fundamentales, nondum satis explicatum est, & operosam requirit disputationem. Nos paucis, & velut *ὡς ἐν ἑξῆς* dicimus, ea cum primis dogmata esse fundamentalia, quæ causas modumq; salutis directè explicant, adeoque scitu salvandis omnibus necessaria sunt, ut absque illorum notitia vitam æternam nemo consequatur; Specialem verò deductionem articulorum fundamentalium ad aliud tempus reservatam volumus.

LXII.

III. PARTIM EVIDENS, vel perspicua; PARTIM 3. Partim INEVIDENS, vel obscura. Nam fides dogmatica confide- evidens, rari potest ratione vel obiecti, seu rerum revelatarum; vel subje- partim- obiecti seu hominum assentientium. Objectum fidei rursus æstimari inevi- dens. potest respectu vel revelationis, vel sui. Revelatio, quoad dogmata, scitu ad salutem necessaria, in Scripturis, clarissimè facta est, ut quivis cum attentione illas legens, & media necessaria adhibens, verum ex iis sensum & assensum haurire possit.

E 3

Negant

Negant quidem id Pontificii, semper accusando Scripturam tantæ obscuritatis, ut genuinum sensum, & veritatem religionis ex ista nemo addiscere vel percipere possit, nisi Papæ interpretationes audiat, & sensum Ecclesiæ Romanæ sequatur, unde colligunt, Laicos eas non posse privatim cum fructu legere, quia nequeant intelligere; sed insignem hîc errant errorem, quem refutare possumus ab illis Scripturæ testimoniis, in quibus verbum Dei lucidum esse dicitur, & animos hominum illustrare, *Pf. 19. v. 8. 9. Pf. 119. v. 105. 2. Pet. 1. v. 19.* à conditione illorum, qui sacras literas nobis reliquerunt; ab absurdis; ab experientia & praxi fidelium; tandemq; à Patrum testimoniis: quâ Scripturæ claritate quoad principales fidei articulos præsuppositâ, ultrò sequitur, fidem ferri in objectum non obscurum, sed perspicuum, adeoq; ipsam fidem, ratione objecti perspicuè propositi, & clarè intellecti, dicendam esse perspicuam & evidentem, non obscuram, multò minus *ignorantiam*, ut ineptit Bellarmin. lib. 1. de Justif. c. 7. quem errorem fusè refutavimus, *disp. 1. de fide, c. 2. th. 38. seqq.* ubi tamen non diffitemur, *partim* articulos fidei in quibusdam locis; *partim* vaticinia & alia quædam objecta particularia in sacris literis, nonnihil obscurius esse proposita, quorum ratione fides nostra minus esse solet evidens.

LXIII.

Ratione *sui* objectum fidei *vel* naturaliter unâ cognosci potest, ut Deum esse, res humanas regere, &c. *vel* abstrusum, omnemq; rationem transcendens mysterium est. *Prioris generis* objecta sunt evidentiâ; *posterioris generis* objecta sunt inevidentiâ, ut *mysterium Trinitatis, Incarnationis, & similia*, quæ quidem clarè in Scripturis sunt proposita; ratione tamen sui sunt sublimissima & abstrusissima mysteria; unde illorum cognitio, quam hîc habemus, & consequenter fides nostra, nonnihil obscura est & inevidens, sicut eorum, quæ unâ innotescunt naturaliter, cognitio & fides, satis clara est & evidens.

LXIV.

Porrò autem, quando fides consideratur ratione subjecti, vel hominum assentientium, ubi cum primis attenditur modus & ratio assentiendi, vicissim illa diverso respectu est *evidens*, & diverso *inevidens*. Quædam credenda enim cognoscimus generaliter,

raliter, & confusè, ubi res scimus, rerum tamen modos igno-
ramus, ut articulum *Trinitatis, Unionis personalis, presentia Sacra-*
mentalis; quædam cognoscimus specialiter & distinctè, ubi &
rem, & rei modum percipimus, ut articulum de nativitate,
passione & sepultura Christi, &c. Quoad *posteriora*, cognitio &
fides nostra est perspicua; sed quoad *priora* est inevidens & ob-
scura, quæ ipsa obscuritas vel major vel minor est, pro diverfi-
tate objecti & subjecti.

LXV.

IV. RATIONEM HUMANAM TRANSSCEN-
DIT. Nam mysteria, quæ cadunt sub fidem dogmaticam, igno-
ta sunt carni, & sanguini, *Matth. 11. 27. c. 16. v. 17.* nec possunt à
ratione humana capi, *1. Cor. 2. v. 11. 14.* sed quò ista diligentius se-
cundum regulas suas examinat, eò magis videntur absona &
stulta, *Rom. 8. v. 5. 1. Cor. 1. v. 17. 19. 20. c. 2. v. 4. c. 3. v. 18. 17.* Hinc ad Scri-
pturâ ceu credendorum normam, remittimur quidem, *Esa 8.*
v. 2. Luc. 16. v. 19. Ioh. 5. v. 39. nunquam verò ad rationem, ejusq; sa-
pientiam. Verissima quidem sunt hujus axiomata, sed intra li-
mites suos, & in hemispherio, rerum naturalium, quippe ex qua-
ram inductione sunt collecta: si verò latius extendantur, & se-
cundum illa de rebus supernaturalibus judicare quis præsumat,
nihilq; credere velit, nisi quod illis congruit, is fallit ac fallitur
miserè, omniaq; videbuntur ipsi contradictoria, quæ tamen
juxta Scripturæ ductum sunt verissima. Hinc partes judiciariæ
circa fidei mysteria, eorumq; veritatem aut ἀντίφασιν, rationi
non sunt præmittendæ, sed captivetur potiùs illa sub obsequi-
um fidei, *2. Cor. 10. v. 4. 5.* exemplo Abrahami, *Gen. 17. v. 17. c. 22. v. 10.*
Rom. 4. v. 18. Naëmani, *2. Reg. 5. v. 14.* & Pauli, *Gal. 1. v. 17.* ne per teme-
rarium cœcæ rationis judicium, præcipitemur in errores & pe-
ricula, exemplo istius increduli equitis, *2. Reg. 7. v. 17.* Sadducæ-
orum, *Matth. 22. v. 23.* Nicodemi, *Ioh. 3. v. 39.* Capernaitarum, *Ioh. 6.*
v. 52. & Thomæ Apostoli, *Ioh. 20. v. 25.*

4. Trans-
cendit
humanā
rationem

Quæ non
est norma
fidei.

LXVI.

Uti verò ratio de mysteriis fidei; sic de vera contradictio-
ne Theologica judicare nequit; ubi tamen notandū, quòd con-
tradictio cōsideretur vel *formaliter*, & ratione naturæ suæ com-
munis: vel *materialiter*, & ratione certæ rei aut materiæ, quæ ve-
nit in

Nec judi-
care potest
de contra-
dictionibus
Theologicis



nit in controversiam. De contradictione *formaliter & abstractivè* sumpta, in Logicis agitur, ubi Canones præscribuntur, quid sit vera & realis *ἀντίφασις*. Sin autem de certa re vel materia disputetur, num ejus affirmatio contradictionem implicet, aliunde judicium peti nequit, quàm ex illa ipsa disciplina, ad quam pertinet controversum thema. In omni enim accurato judicio, prærequiritur notitia; quum judicium ignoti, sit judicium cæci de coloribus. Quæ igitur disciplina de re aliqua non agit, secundum ejus disciplinæ canones judicari de ista re non poterit, unde sequitur, rationi nequaquam esse committendum judicium de contradictionibus Theologicis. Nam supra rationem sunt, ut diximus, mysteria fidei, quorum naturam illa quum non percipiat, judicare propterea non debet: secus si faciat, nihil aliud quàm meras *ἀντιλογίας* finget, atque in judicando aberrabit quàm gravissimè.

LXVII.

Licet aliter videatur Photinians Pontificijs. Errant proinde *Photiniani*, dum nihil credere volunt, quod cum ratione non congruit, vel quod ab illa falsitatis arguitur. *Schimb. præfat. super refut. Carolii, f. 11. a. & fol. 12. b. Ostorodus in Institut. c. 6. p. 42. Smalzius in refut. thes. Dn. D. Franzii p. 137. & Pontificij, qui rationis naturalis judicium inter documenta fidei referunt, Valent. l. 8 Anal. c. 5. p. 191, D. & hinc cultum rationi consonum, licet in verbo non præscriptum, Deo placere colligunt, Idem l. 1. de Missa, c. 4. 700. & l. 2. c. 4. p. 861, cum primis autem Calviniani, qui rationem, ejusq; regulas pro principio & norma fidei dogmaticæ habent, quod ipsorum verbis, hypothesebus, & praxi luculentè satis probari potest, quicquid etiam contrâ effutiant. Vide die erste Prob Calvinischer Religion/ c. 2. p. 302. seqq.*

LXIX.

§. Soli Scripturæ commensuratur. V. SOLI SCRIPTURÆ COMMENSURATUR. Nec enim fides dogmatica hoc tempore & ordinariè normam habet aliam, juxta quam examinari, & ad quam mensurari debet, præter solum & unicum Dei verbum, scriptis Propheticis & Apostolicis comprehensum. Non possunt normæ

normæ officio perfungi *traditiones*, quas jaçitant Papicolæ, *quum* earum origo immediata divina probari nequeat; *quum* de illis ipsis iudicium ex Scripturis ferri debeat; *quum* traditiones ipsorum sint variæ & ambiguæ, incertæ, novæ; *quum* sub hoc schemate & olim errores multi introducti sint, & etiamnum introduci queant. Porro *nec Conciliorum definitiones* pro infallibili fidei dogmaticæ norma haberi debent, *quia* ratione sui, quatenus absque Scripturarum fundamentis considerantur, sunt tantum humana testimonia; *quia* in decretis fidei hallucinari & errare possunt facile; *quia* decisiones synodales sæpius sunt incertæ, multisq; dubiis subjectæ; nonnunquam sibi ipsis contrariæ; haut rarò multis erroribus stipatæ; quibus omnibus accedit periculum seductionis, Synodorum convocatio difficilis, sæpè impossibilis, & similia. Sic *Patrum scripta* non esse normam fidei, demonstramus à Patrum fallibilitate & incertitudine, *ab* absurdis inde consequentibus, *ab* ipsorum Patrum testimonio, & quorundam Pontificiorum confessione. Soli proinde Scripturæ id competit, quippe quæ perfectè continet omnia scitu creditivè ad salutem necessaria, prout alibi demonstratur fusiùs. Quicquid igitur fide dogmatica est credendum; id omne sacris literis, vel quoad literam, vel ad minimum quoad sensum comprehendi oportet; & *contra*, Quicquid in verbo scripto proponitur, id fide religiosa suscipi debet. Nam verbum & fides sunt correlata perpetua; Verbum est mensura fidei, Fides est mensuratum verbi; unde duo isthæc & ponunt & tollunt se mutuò.

LXIX.

VI. IN SENSUS QUIDEM NON INCUR- 6. In sen-
RIT, COGNOSCI TAMEN ET DISCERNI A sus non
STUDIOSO INDAGATORE POTEST. Quòd incurrit.
in sensus non incurrat, extra dubium esse judicamus, quum velut
omnis veritas, sic etiam vera fides in profundo lateat, neque
sensibus percipi aut discerni queat. Audimus quidem doctrinæ
alicujus prædicationem, & videmus Sacramentorum admini-
strationem; quòd autem ista doctrina, quam audimus, sit ve-
ra; & quòd ista Sacramentorum administratio, quam cerni-
mus,

F

mus,

mus, sit legitima, id sensibus nostris minimè potest percipi aut dijudicari. Unde miramur, quid *Huntleo* in mentem venerit, audacter ita scribenti, *controv. 2. cap. 6. num. 4.* *Illà fides, per quam homo efficitur membrum visibilis Ecclesiæ, non est sola interior fides, quæ non videtur. Sed illa quæ videtur, & declaratur signis exterioribus, v. c. Confessione fidei, susceptione Sacramentorum, & aliis hujusmodi signis exterioribus, quod adeò verum est, ut etiam sola ista exterior professio fidei sine interiore fide sufficiat, ut homo sit membrum visibilis Ecclesiæ.* Rursus *cap. 7. num. 2.* scribit. *Quando asserimus, Ecclesiam in fide errare non posse, per fidem intelligimus non illam duntaxat invisibilem fidem, quæ est in mente, sed etiam visibilem, hoc est, doctrinam publicam totius Ecclesiæ, quæ omnibus proponitur ad credendum.* Lynceos profectò Papistis esse oportet oculos, quibus etiam fides vera sit visibilis & conspicua. Planè insuper nova, & hætenus inaudita est distinctio illa in fidem visibilem ac invisibilem. Et licet quibusdam externis signis probabiliter declaretur fides, non tamen hinc sequitur, dari quandam fidei speciem, quæ sit conspicua, & foris videatur, sicuti non licet dicere, animam esse geminam; *Invisibilem*, quæ non conspiciatur; & *visibilem*, quæ per certa signa, per respirationem, motum, & similia, innotescat. Deinde, quamvis audiam confessionem doctrinæ, & videam susceptionem Sacramentorum, non tamen hoc audio vel video, quòd illa doctrina sit vera & Apostolica; vel quòd ista Sacramenta legitimè rectèq; suscipiantur; Unde manifestum est, fidem veram, quatenus vera, visu val alio sensu nequaquam percipi. Id verò nimis absolum, & planè falsum est, quòd sola exterior professio fidei, sine interiore fide sufficiat, ut homo sit verum membrum visibilis Ecclesiæ. Si enim absit fides interna, talis confessor est hypocrita. Caret igitur Spiritu S. nec unitur cum capite Christo, ideoq; non est membrum Ecclesiæ propriè dictum.

L X X.

Ex quo ulterius patet, errare *Bellarminum* lib. 3. de Ecclesia, cap. 15. col. 192. B. scribentem, *oculis & auribus percipi, quòd isti, qui subsunt hodiè Romano Pontifici, sint cæterus hominum profitentium Christi fidem sub regimine legitimorum pastorum.* Notandum est,

est, inquit. Omnem sententiam de fide nasci, vel ex duabus profitionibus de fide, & tunc totam conclusionem inevidentem esse, vel ex una de fide, altera evidenti; & tunc conclusionem partim esse evidentem, partim inevidentem: Talis est ista conclusio: Isti homines, qui nunc profitentur fidem sub Romano Pontifice, sunt Ecclesia Christi: Nam oritur ex hoc syllogismo: Ecclesia Christi est cœtus hominum profitentium Christi fidem sub regimine legitimorum pastorum: Sed isti qui subsunt hodie Romano Pontifici, sunt talis cœtus; igitur sunt Ecclesia Christi. In quo syllogismo major est de fide, & proinde inevidens. Minor est evidens, nam nihil ponimus in minore, quod non oculis aut auribus percipiatur. Rectè ergo inde infertur Conclusio partim evidens, & partim inevidens. Verùm falsa est minor in hoc argumento: Nam in cœtibus Papisticis video quidem homines, auditores & pastores, simulq; audio professionem doctrinæ Pontificiæ, quòd autem isti pastores sint legitimi; & quòd fides Papistica sit Christi fides, vel doctrina, istud neque oculis, neq; auribus percipitur, imò nullâ etiam ratione firmâ demonstrari potest.

LXXI.

Porro, quòd vera fides vel doctrina, licet videri nequeat, à studioso tamen indagatore cognosci, atque à falsis religionibus discerni possit; similiter operosa probatione non indiget; Modus verò cognoscendi eam non tradi solet uniformiter. Papistæ pro signis *Ανεπιτιμοῖς* vendicant, externas quasdam notulas & prærogativas, ut sanctitatem vitæ, miracula, successionem Pastorum, Concordiam fidelium, amplitudinem Ecclesiæ, & similia, quæ tamen nullam certam pariunt *Ἐπίδειξις*, uti fusè ostensum in Antilefio, & Muris Babylonicis. Nos paucis dicimus, quòd indagator veræ fidei sit vel Christianus, divinam Scripturæ auctoritatem præsupponens; vel paganus, de Scriptura parùm vel nihil omninò sciens.

LXXII.

Christianus si sit, Scripturæ ductum, ceu statuam dirigentem sequi debet in omnibus. Quæcunque igitur religiones sparguntur publicè, illas examinet secundum hanc normam, & statim deprehendet anomaliam. Ita hoc tempore circumfertur religio Papistica, Anabaptistica, Photiniana. Singulas consideret

indagator fidei, ubi cognoscet facilè, quòd cum Scriptura ista non conveniant, sed dogmata planè dissona contineant; quòd modum salutis falsò exprimant; quòd fidem salvificam, & fundamenta sinceræ pietatis ac vividæ consolationis impedi- ant, abducendo vel ad securitatem, vel ad desperationem. Ita ergo examinatis & refutatis falsis religionibus, ultrò sequetur, quòd nostra, vel Lutherana Religio, quippe quæ sola cum Scri- pturis convenit, & modum salutis rectè tradit, sit antiquissima, Apostolica, & unicè vera Religio.

LXXIII.

¶ Pagano.

Paganum quod attinet, ejus quidem illuminatio & con- versio, præsertim quamdiu vivit in medio Paganismo, satis est difficilis, non tamen planè impossibilis. Nam ex lumine Naturæ potest percipere, cultum inter paganos, suosq; homines usita- tum, non esse verum, sed falsum, quia pro Deo habent & vene- rantur, quod Deus non est. Conferre igitur sese debet ad Chri- stianos generatim ita dictos, in quorum cœtu vigere novit cul- tum alium. Ibi protinus cognoscet, haberi quendam librum, continentem Dei verbum, ex quo peti debeant credenda & a- genda, quod principium omnes inculcant Christiani, cujus et- iam *avjerriou* ex internis criteriis benè demonstrare queunt cui- libet poscenti. Sic autè cognitio veritatis principio, illoq; funda- mento jacto, paganus diligenter legat Scripturam, conciones visitet frequenter, verboq; Domini attendat, ut juxta ejus nor- mam de variis in Christianismo vigentibus judicare possit reli- gionibus, ubi si devotæ preces accesserint, nullum nobis est du- bium, quin ex gratia Spiritus Sancti illuminantis, & per verbum attentè auditum semper operantis, sinceram Evangelii doctri- nam tandem sit agniturus, & fidei pectore suscepturus. Atque hunc arbitramur omnium optimum esse veram fidem proban- di & cognoscendi modum, quem si quidam improbent, ab iis meliorem & certio rem modum minimè præscribi posse, intrepidè, certaq; ex scieantia pronunciamus.

7. Quan-

doq; cum
fide salvi-
ficâ con-

LXXIV.

VII. QUANDOQ; CUM FIDE SALVIFICA
CONJUNCTA, QUANDOQ; AB EADEM, ET
VERA

VERA SANCTITATE SEPARATA EST. Nam fides dogma- juncta,
 tica cadit etiam in hypocritas, siquidē multi verā doctrinā ad- quādoq;
 stipulantur, illamq; agnoscunt & habent pro divina, qui tamen ab eadem
 in peccatis contra cōscientiam hærent, & malitiosè vitam tra- separa-
 ducūt, ubi notitia & assensus datur sine fiducia, hoc est, fides do- ta est.
 gmatica siue salvifica. Sic Joh. 12. v. 42. legimus: *Veruntamen & ex*
principibus multi crediderunt in eum; sed propter Phariseos non con-
sitebantur, ut e Synagoga non ejicerentur. v. 43. *Dilexerūt enim gloriam*
hominum magis, quā gloriam DEI. Isti ergo Principes ex prædica-
 tione Christi hauserunt fidem dogmaticam, & cognoverunt
 veritatem, cui suum etiam præbuere assensum; Sed quia dilexe-
 runt gloriam hominum magis, quā gloriam Dei, pro renatis,
 & fide salvifica præditis haberi non poterunt, juxta illud Joh.
 5. v. 44. *Quomodo vos potestis credere, qui gloriam, quæ à solo Deo*
est, non queritis? Sic Jacobus etiam cap. 2. innuit, quòd fides
 dogmatica, ejusq; exterior professio separari possit à bonis o-
 peribus, siquidem expressè scribit, v. 14. *Quid proderit fratres*
mei, si fidem quis dicat se habere, opera autem non habeat? Nunquid
 poterit fides, (nimirum dogmatica, quam profitetur,) salva-
 re eum? Addit ibidem v. 19. *Tu credis, quoniam unus est Deus? Be-*
nefacis; & daemones credunt, & contremiscunt: ex quo sequitur,
 assensum historicum, & fidem dogmaticam in diabolis etiam
 inveniri, unde concluditur invictè, illam cum fide salvifica &
 justificante non esse necessariò connexam, sed posse illam sine
 hac dari & existere, quamvis salvifica dari nequeat sine dogma-
 tica. Nemo enim salvatur, nisi qui assensum præbet veræ do-
 ctrinæ. Multi autem illi assensum præbent, ut hypocritæ in
 Ecclesiâ, qui tamen ob peccata mortalia, in quibus hærent,
 minimè salvantur.

LXXV.

IIX. NON PROTINUS AMITTITUR TOTA, SI A. 8. Non
 MITTATUR EX PARTE. Circa hoc fidei attributum dis- protinus
 sentiunt Papistæ. *Durandus* in 3. distinct. 23. q. 9. arbitratur, in hæ- amittitur
 reticis etiam manere habitum fidei, non quidem respectu arti- tota, si a-
 culorū omnium; sed tantū respectu eorum, quos non impu- amitta-
 gnant. tur ex
 parte.

F 3



gnant. *Thomas* autem 2.2. quæst. 5. art. 5. cenſet, habitum fidei amitti per quemlibet actum infidelitatis, ac proinde, qui vel in uno articulo hæreticus eſt, eum non retinere habitum fidei. Idem affirmat *Gregorius de Valentia*, Tom. 1. diſp. 5. pun. 5. §. 1. col. 54. & *Becanus*, Part 1. Theol. Schol. Tom. poſt. tract. 1. cap. II. quæſt. 5. pag. 169. Nos ad Scholaſticam hanc quæſtionem breviter reſpondemus, quòd ſalvifica quidem fides amittatur per hæreſin, quum nemo in fidei fundamento errans, ſalvari queat: negamus autem, quòd omnis & tota fides dogmatica perdatur per partialem hæreſin. Licet enim quis incipiat errare in aliquo fundamentalis articulo; non tamen propterea vel notitiam vel aſſenſum habitualem amittit cæterorum articulorum, quos adhuc pro veris & divinis habet. Nam quâ ratione iſtud ſtabiliri poſſet? Eſt quidem fidei & articulorum una copulativa, ut errore circa unum articulum commiſſo, facile labefactari poſſint & cæteri; non tamen tanta eſt articulorum co hæſio, ut uno tantùm negato, protinus negentur omnes, vel aſſenſu unius per hæreſin amiſſo, ſtatim amittatur aſſenſus omnis, etiam quoad reliquos; aliàs nullum daretur diſcrimen inter hæreſin, ac totalem *ἀνομοσύνη* vel infidelitatem. Quare ut peccata mortalia expellunt quidem ſalvificam fidem, relinquunt tamẽ dogmaticam in mente Chriſtiani impij; ſic per particularem hæreſin ſimiliter fides juſtificans tollitur, remanente, quoad ceteros articulos, fide dogmaticâ & aſſenſu hiſtorico. Nam propter idem principium, videl. authoritatem verbi divini, credit eosdem, & quidem pari certitudine, quâ credidit, priusquam in hæreſin prolaberetur. Nec enim hæretici dubitant de authoritate Dei revelantis, quaſi ea fallax ſit, ſed dubitant de quibusdam articulis, an ipſi à Deo revelati ſint, nec ne? Nam ſi crederent à Deo revelatoſeſſe, ſtatim præberent illis aſſenſum; ſed quia putant, non eſſe à Deo revelatos, ideò non præbent aſſenſum.

Licet contrarium velit defendere Becanus.

LXXVI.

Valdè ridicula eſt exceptio Becani. l. d. pag. 170. ita ſcribentis: *Hæretici dubitant de utroq; & de authoritate Dei revelantis, & de quibusdam articulis, an à Deo revelati ſint, nec ne. Quod ſi oſtendo.*



Stendo. *Authoritas Dei revelantis potest dupliciter spectari. Primò, speculative & abstractivè secundum se. Secundò, practicè, & respectu nostri, quatenus scilicet nobis proponitur ab Ecclesia, seu à Pastoribus Ecclesie. Et sic hæretici de ea dubitant, quia nan admittunt judicium Ecclesie, sed sequuntur propriam phantasiam & persuasionem. Itaq; affirmant eos articulos à Deo revelatos esse, non quos Ecclesia dicit esse revelatos, sed quos ipsi ex privato Spiritu, id est, ex propria persuasione judicant esse revelatos. Hoc docet quotidiana experientia. Nam si in simili casu queras à Catholico, an Epistola Jacobi sit Canonica, nec ne? Respondebit, Catholicam esse, quia Ecclesia Catholicam esse definiat. Si idem queras à Lutherano & Calvinista, alter affirmabit, Catholicam esse, alter negabit. Quare? An propter Authoritatem Ecclesie? Non, quia uterq; contemnit judicium Ecclesie. An propter authoritatem Lutheri & Calvini? Non, quia uterque dicit, Lutherum & Calvinum fuisse homines, & errare potuisse. Quid ergo utrumq; movet? Propria phantasia & persuasio, vel potius superbia, quia plus sibi arrogant, quàm vel Ecclesie, vel suis Præceptoribus, Luthero & Calvino.*

Resp. 1. Aliud est authoritas Scripturæ, & aliud est authoritas Ecclesie, unde non sequitur, dubitantem de hac, simul dubitare de illa. 2. Hæretici non respuunt judicium Ecclesie veræ; de hoc autem disputatur: *Quinam cœtus sit Ecclesia vera? quem titulum suæ congregationi vindicant nostræ adimunt. Dicunt igitur, quòd omninò sequantur authoritatem Dei revelantis, & judicium Ecclesie, sed veræ: Inficias verò semper eunt, quòd cœtus iste, à quo dissentiunt, sit vera Ecclesia. Quocirca de duobus semper dubitatur, nempè, Num articuli controversi sint divinitus revelati? Et, Num Ecclesia proponens illos articulos, tanquam divinitus revelatos, sit vera Ecclesia? unde nequit dici de hæreticis, quòd vel authoritatem Dei revelantis, vel judicium Ecclesie impugnent; ac per consequens fidem veram de iis habent articulis, quos tanquam divinitus revelatos, & judicio veræ Ecclesie comprobatos agnoscant.* 3. Falsum est, quòd ex propria *Φαντασία* vel arrogantia negetur, epistolam Jacobi esse canonicam. Num enim idem asseret Becanus de antiquis Patribus, qui dubitârunt, & cum primis de Eusebio, qui scripsit, *eam νοθέουσα?* Judicio igitur Ecclesie



Ecclesiæ Romanæ, opponimus iudicium Ecclesiæ præcæ, & ex Jacobi Epistola producimus argumenta, quæ dubium injiciunt, num ea vetè sit canonica, ut proinde non stemus hîc vanâ persuasione, sed iudicio antiquæ Ecclesiæ, ac rationibus ex ipso Jacobi textu petitis.

LXXVII.

9. Ratio- IX. RATIONE OMNIUM OBJECTORUM,
ne omni- ET QUOAD MODUM ASSENTIENDI NON
um obje- MANEBIT IN BEATIS ET DAMNATIS. Ope-
ctorum rosi hîc sunt Scholastici, quippe quorum proprium est, neces-
& quoad saria negligere, & non necessaria proponere. Rixas eorum, qui
modum volet, videat apud Thomam, 2. 2. quæst. 5. Alensem par. 3. quæst. 64.
assenti- art. 7. Durandum 3. sent. dist. 23. quæst. 9. Bonaventuram in 3. sent. d.
endi non 25. art. 2. quæst. 3. Bielem in 3. sent. dist. 31. quæst. un. Gregorium de
manet Valentia Tom. 4. col. 448. Becanum. in Appendice tract. de purg.
cap. 8. & part. 2. Theol. Schol. Tomo post. Tract. 1. c. 11. qu. 1. & 2.

In beatiss, Nos paucis dicimus, 1. DE BEATIS, quòd in ijs fides dogma-
tica non sit mansura ratione omnium objectorum, & quoad
eundem modum assentiendi. Nec enim amplius credent vi-
tam æternam futuram, sed ipsâ re possidebunt; Neq; amplius
videbunt Deum in ænigmate, sed de facie ad faciem, 1. Cor. 13. v.
10. Cognitio non erit obscura, sed clarissima. Videbimus Deum
à priori, non à posteriori, adeoq; cessabit fides vel notitia inevi-
dens, assensusq; languidior, & succedet intuitiva & certissima
Dei visio, unde dicitur 1. Cor. 13. v. 8. quòd scientia destruetur, nempe
secundum illum modum, quo in hac vita Deum cognoscimus.
Quod autem concernit alia objecta, à beatitudine & Dei visio-
ne diversa, qualia sunt lapsus Adæ, Christi natiuitas, passio, aliq; actus
præteriti, ea omnia non minus credunt Triumphantibus; quam
militantes Christiani, & quidem ista credunt propter ipsam
Dei revelantis auctoritatem, sic tamen, ut ipsorum notitia sit
Nec in da- illustrior, & assensus firmior. 2. DE DAMNATIS, quòd
mnatis. illi credant, Deum esse, non ex pio affectu in bonum, sed quia
convincuntur pondere argumentorum, unde dicitur de dæmo-
nibus, quòd credant & contremiscant, Jac. 2. v. 19. Et Augustinus
scribit, l. de fide, c. 6. Fides demonum exprimitur per timorem. Assen-
tiuntur enim veritati ob summam certitudinem, illâ tamen
non

562

non delectantur, quoniam vergit in ipsorum exitium. Fides igitur Christianorum, qui damnantur, non manet quoad omnia, sed tantum quoad aliqua objecta, modusque assentiendi non est simpliciter idem, sed quodammodo diversus, siquidem assensus fidei, quo hæc credimus mysteria, supernaturalis est & voluntarius; sed in damnatis est naturalis, coactus pravisque circumstantiis viciatus.

MEMBRUM III.

DE FIDEI SALVIFICÆ ATTRIBUTIS PARTICULARIBUS VEL

PROPRIIS.

LXXIIX.

Fides salvifica I. SOLA JUSTIFICANDI VIM HABET, Quæ exclusiva non opponitur aliis causis, ad justificationem nostri necessariis, ut gratiæ Dei, merito Christi, verbo & Sacramentis; sed *partim* instrumentis aliis, & innuimus, quod fides sola sit manus vel medium apprehendens Christi meritum; *partim* & præcipuè cunctis operibus & meritis nostris, ut indicetur, homines non propter qualitatem aliquam inhaerentem, vel opus proprium; sed tantum propter Christi justitiam per fidem imputatam, justos pronunciaris, id quod probari potest à commendatione solius fidei, ab exclusionem operum, à gratia Dei, à forma justificationis, & similibus argumentis, quæ recensuimus in disputat. de effectu fidei, cap. 3. th. 69. seq.

Fides salvifica
i. Sola vim justificandi habet.

LXXIX.

II. JUSTIFICANDI VIM NON HABET A CHARITATE, SED A GRATUITA DEI IMPUTATIONE VEL ACCEPTIONE. Prius illud Papistæ alias asserunt, ut *Gregor. de Valentia*, Tom. 2. disp. 1. q. 4. pun. 3. col. 426. & *Censura Colonien. sis*, p. 114. sed malè. Nam ex Scriptura istud minimè probari potest. Imò illa fidem operibus semper præfert, atque adeò commendat, ut justificationem ascribat soli fidei, exclusis operibus, *Rom. 3. & 4. Gal. 2. & 3.* Si enim fides à charitate *διωαμν* justificandi acciperet, tum charitas excludi non posset, imò magis quam fides, vel potius sola justificaret, quod tamen sacris literis è diametro adversum est. Adde, quod charitas, quam ex lege fit, e-

2. Non a. habet e-
am à
charitate
sed à gra-
tuita Dei
imputa-
tione.

G jusque

jusq; summam cōtineat, *Matt. 22. v. 40. Rom. 13. v. 8, 9.* justificare nequeat; & per consequens, multò minus justificandi vim aliis cōferre poterit, quandoquidem ex lege nemo justificatur apud Deum, *Gal. 3. v. 11.*

LXXX,

3. Fertur
in meri-
tū Christi
& Dei
gratiam,
prout ju-
stificat.

III. QUATENUS JUSTIFICAT ET SALVAT, IN NULLUM ALIUD FERTUR OBJECTUM, QUAM IN MERITUM CHRISTI, ET SINGULAREM DEI GRATIAM, quā omnes credentes ob satisfactionem Filii sui se justificaturum promisit. Confirmatur hoc ipsum à Christi satisfactione, à luculenta istius objecti expressione, ab aliorum objectorum remotione, ab exemplo Abrahamæ, à pronominiibus applicationem notantibus, ab absurdo, à typo serpentis ænei; & testimoniis Patrum, quas rationes vide sis disput. 1. de fide, th. 103. seqq.

LXXXI.

4. Pecca-
ta tegit,
non pe-
nitus de-
let.

IV. PECCATA TEGIT, NON PENITUS DELET, VEL PRORSUS ERADICAT. Fides justificans tollit quidem reatum omnium peccatorum; Uti verò quoad actualia ex factis non reddit infecta; sic quoad originale non delet vel tollit omnem vitiositatem, sed in credentibus semper remanet prava concupiscentia, quæ repugnat legi Dei, *Rom. 7. v. 23.* & cōcupiscit adversus Spiritum, *Gal. 5. v. 17.* quæ est illa *ὀπιεπισυτ* & *ἀμαρτία*, vel pravitas semper circumstans, *Heb. 12. v. 1.* Putant quidem Pontificii, per fidem & justificationem in credentibus deleri omne id, quod habet rationem peccati propriè dicti, unde residuam quoque renatorum concupiscentiam pro peccato non habent: Sed contrarium vel ex solo *cap. 7. ad Rom.* demonstrari potest clarissimè. Quia ergo peccatum briginis quoad radicem & vitiositatem semper hæret in credentibus, ultrò sequitur, quòd fides justificans illam non penitus tollat, ne omninò sit; sed tantum tegat, nec obsit, nève imputetur. Quò spectat locus Apostoli, *Rom. 4. v. 7.* ex *Ps. 32. Beati, quorum remissa sunt iniquitates, & quorum tecta sunt peccata.* Ubi notetur emphasis, in voce tegi, hoc ipsum innuens, quòd ita tegantur peccata nostra, ac si quis maculas in corpore hærentes tegat vestimento, ubi detracta veste apparent maculæ, sed injecta veste, manent quidem, quod sunt; non tamen in cōspectum veniunt. Sic peccata nostra obteguntur veste Christi, quæ est plenissima ejus satisfactio, *Rom. 13. v. 14.*

Gal. 3. v. 27.

563

Gal. 3. v. 27. quâ rectè superinjectâ, manent quod sunt, nempe *ἀνομιὰ*, peccata, sed & non veniunt in conspectum Dei, ut illa vindicet; vel non imputantur credentibus in Christum.

LXXII.

V. EST PARS SALUTARIS POENITENTIÆ. 5. Est pars exclusam quidem volunt eam Pontificii, statuentes, poenitentiam salutaris absolvi *contritione cordis, confessione oris, & satisfactione operis*, hinc poenitentiae fidei nullam omninò in recensendis poenitentiae partibus mentitiam. onem faciunt; quin potius *Conc. Trident.* damnat eos, qui fidem poenitentiae partibus annumerant. *Sed contra nos urgemus hoc unicū argumentum: Verâ poenitentia confertur peccatorum remissio; At sine fide non remittuntur peccata, sed potius per fidem. Quorū quot enim credunt, ii remissionem peccatorum accipiunt, Matth. 9. v. 2. c. 15. v. 22. 28. Act. 10. v. 43. c. 13. v. 39. c. 15. v. 9. Rom. 4. v. 6.* Fides igitur poenitentiam salutarem, per quam peccatorum veniam consequimur, necessariò, ut pars essentialis ingreditur.

LXXXIII.

VI. SEMPER VIVA EST, ET A CHARITATE, COE- 6. SEM- TERISQ; BONIS OPERIBUS SEPARI NEQUIT. Sola per viva quidem, & sine operibus justificat; sed nunquam sola & sine operibus existit, Sunt hæc conjunctissima quoad existentiam, licet parari ne distincta sint quoad essentiam. Solius fidei est justificare, ideoq; ex quo hoc actu exclusâ sunt omnia nostra opera; Illa tamen fides, quæ charitas sola justificat, sola non est, quia viva est, & per charitatem semper te- efficac. *Gal. 5. v. 6.* Fides quidem dogmatica potest esse mortua & sine bonis operibus, hoc est, cadit etiam in subjectum non renatum; sed fides salvifica nequit esse mortua, & sine bonis operibus, hoc est, nullis competit, nisi renatis, & in studio bonorum operum decurrentibus, quod ipsum demonstrari potest plurimis Scripturæ dictis, rationibus immotis, Patrum testimoniis, & propria quorundam adversariorum confessione, de quibus omnibus prolixè actum est disp. *de fidei forma*, membro 3. *th. 58. seqq.*

LXXXIV.

VII. AMITTI POTEST AB ELECTIS NON TOTALITER; 7. Amitti SED AD TEMPUS DUNTAXAT; A RENATIS VERO ET TOTALITER ET FINALITER. Hoc fidei attributum prorsus negant *Calviniani*, qui fidem veram, semel conceptam, nunquam perdi, vel penitus amitti posse autumant. Hæc enim expressa verba sunt,

ba sunt Beza in Colloquio Mompelg. pag. 380. Qui semel verâ fide à Deo donantur, eam nunquam amplius amittere possunt. Et paulò post: Ego dico, Davidem in adulterio perpetrato, retinuisse fidem & spiritum S. neq; eam amisisse. Polan. lib. 6. Syntag. Theol. c. 6. col. 3786. Fides multis tentationum variarum insultibus à diabolo & mundo oppugnatur & labe factatur, sic ut interdum secundum gradum aliquem minuat; interdum secundum actû aliquem occultetur, interdum oppressa videatur, Luc. 22. v. 51. tamen est perpetua & semper perseverat secundum formam suam, usq; ad finem, & firmitatem retinet inexpugnabilem. Trelocatius Junior, in Instit. l. 3. loco 4. p. 262. Eatenus firma est fides in omnibus, ut nec totaliter, nec finaliter, ullo unquam tempore amitti queat, scilicet propter certitudinem & immutabilitatem electionis & promissionis Dei, satisfactionis & meriti Christi, & ob signationis Spiritus, unde fides secundum gradum aliquem saepe minuitur; perire autem secundum formam nãquã potest. Nos autẽ contrarium probare possumus plurimis Scripturæ dictis, variis exemplis, immotis rationibus, copiosis Patrum testimoniis, quæ omnia protulimus disp. 19. Αὐθεωπολ. thesi 4. seqq. LXXV.

8. Multa imò ferme omnia potest.

VIII. MULTA, IMO FERME OMNIA POTEST, sicuti dicitur Marci 9. v. 23. *Credenti omnia sunt possible.* U enim Deus, sic fides salvifica in Deum, res omnipotens est. Sanat, salvat, bona quavis corporalia & spiritualia, hujus & futuri seculi impetrat. Fides nostra fortior est mundo, quia vincit mundum, 1. Ioh. 5. v. 4. Et quidem quoad bona spiritualia, potest fides omnia sine conditione; quoad temporalia potest omnia cum conditione, nimirum si Deo placeat, & id ipsum, quod credentes perimus, gloriæ Dei, Ecclesiæ ædificationi, & saluti nostræ inserviat.

LXXXVI.

Conclusio.

Atq; hæc de articulis fidei sufficiant. *Jesus Christo, qui nostræ fidei supremus auctor est & consummator, Heb. 12. v. 2. sit æterna gratiarum actio, quod lucem fidei nostris oris clementer illucescere fecit, Conserva, ô suavissime Immanuel, quod cepisti opus bonum in nobis: Tuere fidem dogmaticam adversus quasvis hæreses & scandala mundi; Confirma fidem salvificam adversus quasvis tentationes & impetus carnis. Fidelis es promittendo; Fideles nos etiam simus confidendo. Tu vicisti mundum per divinam potentiam; fac ut nos quoq; vincamus mundum per veram fiduciam. Cadat hæresis, fugatur impietas: stet autem, in æternum stet ag, triumphatrix Fides & Pietas, ut ita sine fidei, Pietatis præmium reportemus, animarum salutem, omnibus credentibus, pieq; viventibus à constitutione mundi præparatam. Tibi etiamnum sit fidelis & constans Οὐογ'α, nullis seculis terminanda, AMEN.*

Umg. VI 2 3

= [Dissertationes
theol. Vol. 59]


ULB Halle 3
002 386 852




Sl. 26

Folio
VD 77








B.I.G.

Farbkarte #13

Blue Cyan Green Yellow Red Magenta White 3/Color Black



538
75

EOLOGICA,

ATIS FI-
MUNIBUS
PRIIS.

*de Trinitatis, in in-
ad piam colla-
posita,*

DE

MEISNERO,
rof. Publ.

ENTE

etersen / Regiomon-
sso.

rtij, in Auditorio



ERGÆ,
Johannis Gormanni,

C. XXIV.

